DISPUTATIO THEOLOGICA

81

DE

Vero discrimine peccati mortalis & venialis
deque impossibilitate implendi legem Dei
ob quotidianam peccatorum venialium
incursionem.

CUI

Annexa est Appendix de possibilitate præstandæ legem consideratam secundum ἐντόλην Euangelicam.

Authore, ROBERTO BARONIO,
Ecclesiæ Abredonensi, S. S. Theologiæ
Doctore, & ejusdem in Academia
Mareschallana Professore.

Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam. August. lib. 9. cap. 13.

Ipsa quoquè nostra justitia quamvis vera sit propter veri boni finem, ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita, ut potius peccatorum remissione constet, quam perfectione virtutum. Idem l. 19. de Civ. Dei c. 27.

OXONII,
Typis GULIELMI HALL, Impensis
ROB. BLAGRAVE. Anno 1658.

Magnifico, Ampliſſimo, Spectatiſſimo, ſplendore generis, pietate, authoritate, prudentia, & rerum uſu eminentiſſimo

DOMINO,

D. PAULO MENEZIO

à KYNMUNDIÆ præfecto digniſſimo:

NEC NON

Clariſſimis viris, Dominis conſultiſſimis & prudentiſſimis.

D. CONSULIBUS,

Cæteriſq; Reipub. *ABREDONENSIS* Moderatoribus.

QUUM veram & Chriſtianam humilitatem, quam fides exigit & pietas, duo potiſſimum pariant, notitia legis, &, quæ inde manat, peccati agnitio; boni & fidelis Paſtoris eſt populo ſuæ fidei & curæ commiſſo ſummam illam juſtitiæ perfectionem, quam Dei lex à nobis requirit, ob oculos ponere, & ex eâ noſtræ obedientiæ nævos, ac innumerabiles defectus detegere, ac demonſtrare. At Romanæ Eccleſiæ

Doctores, ut olim, ita & hodie in clariſſima & Euangelii & literarum luce hac in re ſuo munere & officio manifeſtè deſunt imò Chriſtianorum animis palpum hìc obtrudere nil dubitant. Ut enim conſcientiam hominis juſtificati in ſoporem quaſi collocent, ne quid reſiduum habeat cujus ſe coram DEO arguat, & condemnet, diſtinctionem illam peccati in mortale & veniale, ex natura ſua, mordicus retinent, & tanquam Palladium aliquod tuentur. Nempe hoc illud eſt; quamdiu ſtabit ea diſtinctio prout illi eam interpretantur, ſtabit & hoc, poſſe nos implere legem obedientiâ omnibus numeris abſolutâ, atque adeo nos operibus noſtris æternam gloriam de condigno mereri. Quod dogma, quam ſacris literis, & piorum conſcientiis repugnet, omnes humiliter & ſobriè pii adeo agnoſcunt, ut non ſine gemitu & lachrymis miſeriam ſuam in hac lacrymarum valle coram Deo profiteantur, & ingenuè teſtentur. Cum ergo piorum omnium ſenſus dictitet, hac ex parte Romanenſium Eccleſiam maximè vacillare, ego exemplo ducum uſu peritorum Romam e juſque mœnia ibi oppugno, ubi ruinam minantur, facillimeq; ſuffodi & complanari poſſunt. Deus Opt. Max. his noſtræ tenuitatis conatibus faveat, veſtraque Ampliſſimi, Clariſſimi & Conſultiſſimi viri, mihi adſit benignitas, quam ut indies experior, ita grato animo excipio. Hoc ut ſæculo noſtro teſtatum faciam, vobis hanc de impoſſibilitate implendæ legis diſceptationem,

rationem, ut certissimam animi vobis addictissimi tesseram, exhibeo: Valete. Datum ABREDONIÆ, Anno 1633. Junii 17.

Vestræ Amplit. addictissimus

ROBERTUS BARONIUS.

PRÆMONITIO AD LECTOREM.

NOli (candide Lector) hoc mihi vitio dare, quod alicubi in hoc Tractatu peccata leviora reproborum venealia appellem. Cùm ſententiam meam de iis propono parte 1. ſect. 3. S. 4. aperte profiteor ea, neque ex natura ſua, neque ab eventu venialia, eſſe Alibi tamen nonnunquam ea venialia appello, non quod venialia ſint eo ſenſu, quo peccata leviora electorum venialia dicuntur, ſed partim quia hæc peccata, quoad naturam ſpecificam ipſorum actuum, eadem ſpecie ſunt cum peccatis iis, quæ in electis per DEI gratiam, & indulgentiam Euangelicam venialia ſunt; partim verò quia, cùm adverſus Pontificios ex communibus ipſorum placitis diſſero, vocabulis iliis, quæ in eorum Scholis uſitata & recepta ſunt, uti cogor.

DISPU-

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE

Vero discrimine peccati mortalis & venialis, deque impossibilitate implendi legem Dei ob quotidianam peccatorum venialium incursionem.

PARS PRIMA.

In qua Euangelicorum sententia de peccati mortalis & venialis discrimine proponitur, & variis observationibus, distinctionibus, ac quæstionum determinationibus explicatur, & illustratur.

SECTIO PRIMA.

Quam utilis sit hæc disceptatio ad Pontificiorum doctrinam de humanæ justitiæ perfectione & meritis evertendam.

QUam insignis sit hujus disceptationis usus in confutando pernicioso illo Romanæ Ecclesiæ errore, de perfecta legis secundum rigorem consideratæ impletione, ex eo patet, quod Lex DEI prohibeat omnia, etiam levissima peccata quæ *venalia* vocabulo antiquo, sed ineptè & impiè ab adversariis usurpato, vocantur. Cum igitur nemo ordinariis gratiæ viribus omnia peccata vitare possit, ut Scriptura apertissimè testatur, & ipsi adversarii ultro concedunt, evidenter sequitur justorum nullum legem DEI perfectè implere posse.

Bellar-

2. Bellarminus lib. 4. de Justif. cap. 14. hujus argumenti vi & efficacia victus fatetur se & commilitones suos non posse dogma illa de perfecta legis impletione tueri, nisi negando peccata illa leviora, quæ venialia vocantur, esse contra Dei legem. Unde Andream de Vega aliosque qui cum eo docuerunt peccata venialia esse propriè contra legem, non obscure perstringit, eorumque sententiam hoc incommodo gravat, *quod dicere cogantur legis præstationem esse possibilem, non quod tota simul servari possit, sed quod servari possit, major ejus pars, & à meliori parte fiat denominatio.* Et, ut hoc incommodum esse alicujus momenti sciant, subjungit, *videndum esse illis, quid respondeant Apostolo Jacobo, dicenti, Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

3. At Vasquezin 1am 2æ tom. 1. disputat. 143. cap. 4. num. 8. & Alphonsus Curiel in eandem partem Thomæ quæst. 88. art. 1. dub. 3. S. 1. qui cum Vega contra Bellarm. sentire videntur, ut suam sententiam huic incommodo non esse obnoxiam ostendant, ad illud effugium æquè miserum & desperationis plenum confugiunt. Dicunt enim peccata illa leviora, sine qubus nemo justorum vivere potest etsi verè & propriè sint contra aliquod præceptum legis, non tamen impedire quo minus lex Dei à justis impleatur, idque quia præceptum illud, contra quod veniale aliquod peeatum committitur, propriè, perfectè & in rigore non est lex, sive legis præceptum. Et hujus paradoxi hanc rationem afferunt, quia hujus generis præcepti observatio non est necessaria ad consecutionem vitæ æternæ; & quia transgressio illius non repugnat charitati quæ est finis legis. In hanc etiam sententiam ipse Bellarm. alibi propendere videtur viz. lib. 2. de amiss. gratiæ cap. 11. S. *Denique peccatum*, ubi dicit *omnia peccata venialia aut non esse perfectè voluntaria, aut non esse perfectè contra legem, quæ perfectè & in rigore sit lex.* Ecce immanem & projectissimam Jesuit. audaciam, qui peccata

cata ſua extenuant & ferè annihilant, ut de juſtitia ſua, etiam apud Deum glorientur, & ne abſque ratione inſanire videantur, ipſas Dei leges elevare iiſque derogare non verentur.

4. Similiter quantus ſit hujus diſputationis uſus in confutanda adverſariorum doctrina *de merito ex condigno ratione ipſius operis*, ex eo patet quod reatus æternæ mortis & meritum æternæ gloriæ ex condigno ſimul in eadem perſona conſiſtere nequeant. Unde Bell. l. 5. de Juſt. c. 12. *Mereri* (inquit) *ſimul æternam vitam & mortem æternam repugnantiam includit: & proinde qui talis eſſet, deberet vivere in æternum, & non vivere in æternum, mori in æternum & non mori in æternum.* Et Suarez. l. 12. de divina gratia c. 14. S. 5. & 6. *Peccator* (inquit) *ex merito ſuo dignus eſt privari vita æterna. Ergo fieri non poteſt ut ſimul acquirat jus juſtitiæ ad vitam æternam.* Hoc poſito ſic argumentatur: Qui meretur mortem æternam is mereri non poteſt vitam æternam. At juſti ſeu fideles ob peccata quotidianæ incurſionis, quæ venialia vocantur, merentur mortem æternam: ergo mereri non poſſunt vitam æternam. Major ab Adverſariis conceditur. Minor infrà ſuſè contra omnia adverſariorum effugia probabitur: & proinde certa & infallibilis eſt concluſio.

5. Ut igitur brevi & compendioſa, ſed efficaci via convellamus adverſariorum doctrinam de perfecta legis impletione, & meritoria cauſalitate noſtrorum actuum ſupernaturalium, operam dabimus ut peccata venialia ex ſe & natura ſua æternam mortem mereri: item ea verè & propriè eſſe contra finem legis, id eſt, contra charitatem, non ſolum ex ſcriptura & ratione ſed etiam ex ipſorum Adverſariorum principiis & communibus placitis demonſtremus.

SECTIO II.

An, & quo ſenſu, Euangelici admittant partitionem peccati in mortale & veniale.

DE peccatorum inæqualitate nulla nobis cum Pontificiis eſt controverſia. Illi enim Stoicorum errorem de peccatorum omnium æqualitate, quem Jovinianus Hæreſiarcha quarto Eccleſiæ Chriſtianæ ſæculo interpolavit, nobiſcum damnant, multiſque retrò ſæculis damnarunt, niſi quod Conradus celebris D. Thomæ interpres, ſcribens in 1. 2. quæſt. 73. art. 2. aliquid huic errori affine tradidiſſe videtur. Dicit enim omnia peccata, quæ ideo tantum mala ſunt quia prohibita ſunt, ſeu ut planiùs dicam ea omnia peccata, quæ legum poſitivarum tranſgreſſiones ſunt, eſſe inter ſe æqualia. In quo etiam errore fuiſſe alios Theologos Scholaſticos, imprimis verò ipſum Thomam. lib. 3. contra Gentes, cap. 139. & Ferrarienſem ibidem, intrepidè affirmat Vaſquez in 1. 2. diſput. 99. cap. 2. & 5. Nemo tamen ex noſtris Scriptoribus hinc anſam arripit poſtulandi Eccleſiam Romanam hujus erroris, quaſi is communiter in ea receptus eſſet. Novimus enim eum damnari & rejici ab omnibus recentioribus Lombardi, & D. Thomæ interpretibus. Vide Vaſquezium, loco citato, Curielem in 1. 2. quæſt. 72. art. 2. S. 3. & Franciſcum de Herrera, in 2. ſentent. diſp. 32. quæſt. 1.

2. Haud parem candorem adhibent Adverſarii, cum noſtrorum Theologorum doctrinam de hac quæſtione proponunt. Nam Edmundus Campianus Jeſuita Ratione 8. illum Stoicorum & Joviniani errorem etiam Luthero & Calvino affricare conatur. Sed calumnioſum hoc ſuperbi Jeſuitæ mendacium elidit Bellarm. lib. 3, de Juſtificatione, cap. 16. in principio. *Lutherani* (inquit) *non dicunt, quod ſciam, virtutes eſſe pares, aut paria eſſe peccata,*

cata, neque negant hominem crescere posse spe, dilectione aliisque virtutibus. At (inquit Duræus lib. 8. contra Whittakerum) *Calvinus in eo peccata paria fecit, quod omnia mortalia & æternis digna suppliciis censuerit.* Ineptam hanc cavillationem diluit ipse Calvinus, Institutionis Lib. 3. Cap. 4. S. 28. *Scio* (inquit) *quam iniquè doctrinam hanc nostram calumniantur. Dicunt enim parodoxum esse Stoicorum de peccatorum æqualitate: sed suo ipsorum ore nullo negotio convincentur. Quæro enim an non inter ea ipsa peccata, quæ mortalia fatentur, aliud alio minus agnoscant? non igitur protinus sequitur paria esse peccata, quæ simul mortalia sunt.*

3. Euangelici non tantum agnoscunt peccata alia esse aliis minora seu leviora, sed etiam ipsam divisionem peccati in *veniale* & *mortale*, si sano modo intelligatur, tollerabilem esse fatentur. Verum de modo quo hæc distinctio concipienda, & explicanda sit, ut tollerari possit, aliqua inter eos dissensio est, ; quæ ut intelligatur tenendum est hanc distinctionem quatuor modis concipi posse. Primò *cum respectu ad eventum*, seu ad futuram horum peccatorum punitionem aut remissionem. Secundò *cum respectu ad sententiam legis divinæ secundum rigorem suum consideratæ.* Tertio, *cum respectu partim ad sententiam legis secundum rigorem suum consideratæ, partim ad eventum.* Quarto, *cum respectu ad œconomiam, seu administrationem providentiæ divinæ sub Euangelio* in puniendis eorum peccatis cum quibus Deus gratiosum illud fœdus iniit.

4. *Cum respectu ad eventum* hæc distinctio tribus modis concipi potest. Nam peccatum mortale, & per consequens etiam veniale, tribus modis potest dici tale ab eventu: viz. vel ab eventu simpliciter, vel à necessitate aut contingentia eventûs, vel à facilitate aut difficultate eventûs.

5. *Ab eventu simpliciter* illa peccata dici possunt mortalia, quæ de facto puniuntur æternâ morte, illa vero venialia quæ quamvis ex se æternam mortem mereantur, ea tamen non puniuntur, sed grati-

ose propter meritum Christi condonantur. Hoc modo Zanchius, Tom. 4. lib. 1. cap. 8. Thes. 2. dicit omnia electorum peccata esse venialia; omnia vero reproborum esse mortalia. Distinctio peccati venialis & mortalis sic concepta nihil falsi in se continet, sed nimis generalis est. Nam electorum peccata graviora & leviora, etsi ab eventu utraque venialia sint, diversos tamen specie effectus habent, propter quos illa mortalia, hæc vero venialia satis commodè dici possunt, ut infra patebit.

6. *Ab eventus necessitate*, seu à necessitate futuræ punitionis *peccatum in Spiritum Sanctum* mortale dici potest, quia necessario & infallibiliter æterna morte punitur: reliqua vero omnia venialia dici possunt à contraria possibilitate futuræ remissionis, quia viz. condonari possunt, aut potuerunt. Hic modus explicandi illam distinctionem quem afferunt Gomarus in syntagmate disputationum Leydensium, Disput. 13. Thes. 10. Et Piscator, volumine primo thesium Theologicarum Loco 7. Disp. 2. thes. 64. multo generalior est præcedente, & per consequens minus probandus est. Nam secundum eum omnia peccata, non solum electorum, sed & reproborum, excepto peccato in Spiritum sanctum, venialia sunt, quia viz. remissibilia sunt, si per se, & secluso respectu finalis impœnitentiæ considerentur.

7. *Ab eventus facilitate*, seu à majori facilitate futuræ remissionis, illa peccata venialia dici possunt, quæ sub conditione facilioris pœnitentiæ condonantur: à contraria vero difficultate remissionis illa mortalia dici possunt, quæ nisi accedat difficilior & magis molesta pœnitentia, non condonantur, sed æterna morte puniuntur. Hic etiam modus nisi limitatione aliqua explanetur, & expoliatur, ob suam generalitatem & ambiguitatem damnandus est. Nam hoc sensu non solum illa leviora peccata, quæ *quotidianæ incursionis* à Tertulliano vocantur, sed etiam gravissima quæque & maximè horrenda, venialia dici possunt, quia viz.

eo-

eorum alia aliis faciliùs condonantur, ſi tamen hic, modus explicandi diſtinctionem iſtam ita proponatur, prout, à Spalatenſi proponitur l. 5. de Rep. Eccleſ. c. 7. S. 66. admitti poteſt, ut patebit ex Sect. 4.

8. Secundò *cum reſpectu ad ſententiam legis ſecundum rigorem ſuum conſideratæ*, diſtinctio aut diviſio peccati in veniale & mortale concipi & explicari poteſt dicendo peccata quædam tam gravia eſſe, ut ſecundum rigorem legis æternam mortem mereantur, alia verò tam levia eſſe, ut ne quidem ſecundum rigorem legis juſtè puniri poſſunt æterna morte. Hanc explicationem prædictæ diſtinctionis ſoli Pontificii tradunt & tuentur. Noſtri enim omnes Theologi in eo, quod hic caput rei eſt, conveniunt viz. quod peccata omnia etiam leviſſima ſecundum rigorem legis æterna morte juſtè puniri poſſunt.

9. Tertiò, hæc diſtinctio concipitur *cum reſpectu, partim ad ſententiam legis, partim ad eventum*, à Pareo lib. 1. de amiſſionæ gratiæ cap. 2. pag. 18. & Gomaro loco ſupra citato, ubi dicunt omne peccatum, ſeu omne genus peccati eſſe mortale per ſe, & ſecundum ſententiam legis, quia reddit peccantem obnoxium maledictioni legis, quæ proponitur Duteronomii 27. 26. & è contrario omne genus peccati (intellige, excepto peccato in Spiritum Sanctum) eſſe veniale ex accidente, quatenus per miſericordiam Dei in reſipiſcentibus donatur venia propter Chriſti λύτρον. Hic modus explicandi iſtam diſtinctionem, etſi doctrinam contineat veriſſimam, nequaquam tamen ſatisfacit, quia nimis generalis eſt, & peccata regenitorum graviora, ab eorundem peccatis levioribus non diſtinguit. Nam hoc ſenſu omnia regenitorum peccata ſunt venialia, imò unumquodque eorum eſt & mortale & veniale. At ſecundum ſacram Scripturam, ut ſtatim patebit, peccata regenitorum graviora eorundemque peccata leviora, diverſos ſpecie effectus habent, propter quos illa mortalia, hæc vero venialia dici poſſunt. Unde ipſe Pareus in

explicat.

explicat, Catech. parte 1. quæſt. 7. dicit *peccatum regnans*, quod in renatis eſſe poteſt, ut ipſe ibidem monet, eſſe peccatum mortale.

10. Quartò, poteſt hæc diſtinctio explicari *cum reſpectu ad providentiæ divinæ adminiſtrationem ſub fœdere gratiæ in puniendis regenitorum peccatis*, qui actu ad fœdus hoc gratiæ & Eccleſiam Dei pertinent, poteſt inquam explicari, dicendo regenitorum peccata graviora & atrocia eſſe mortalia, leviora vero & quotidianæ incurſionis eorundem delicta eſſe venialia, quia Deus ob illa iram & indignationem iis denunciat, imò è cœlis excluſionem mortemque æternam ipſis interminatur, ob hæc vero condemnationis aut mortis æternæ metum iis non incutit, imò nec ſenſum favoris ſui, aut fiduciam de remiſſione peccatorum ab iis aufert.

11. Hanc diſtinctionis iſtius explicationem, quæ procul dubio reliquis preferenda eſt, apertiſſimè tradiderunt doctiſſimi & æterna laude digniſſimi Theologi Magnæ Britanniæ ad ſynodum Dordrechtanam delegati in ſuo de ſanctorum perſeverantia judicio parte 2. (quæ eſt de perſeverantia quoad ipſos electos) in explicatione thæſeos ſecundæ, ubi ſic ſcribunt: *ex legis quidem rigore quodvis vel leviſſimum peccatum eſt mortiferum, & excludit peccatorem à favore Dei & regno cœlorum. Sed cum filiis cum Chriſto jam adoptatis & juſtificatis, Deus nunquam agit ſtricto jure. Sunt quidem peccata aliqua ob quæ Deus hiſce filiis ſuis iram atque indignationem denunciat, imo è cœlis excluſionem, mortemque æternam interminatur. Qualia ea ſint, videre licet 1 Cor. 6. 10. Gal. 5. 21. Coloſſ. 3. 6. de quibus in theſibus ſequentibus dicetur. Sunt autem alia quædam peccata, ob quæ Deus miſericors non ſolet filios ſuos, vel ad tempus, lumine ſui vultus privare, non metum condemnationis aut mortis illis incutere. Hujuſmodi ſunt rebelles concupiſcentiæ motus de quibus conqueritur Apoſtolus Rom. 7. Item defectus & nævi, qui etiam optimis renatorum operibus adhæreſcunt. Denique ea quotidiana humanæ infirmitatis*

rmatis delicta, quæ committuntur absque certo aliquo propositio committendi, & quotidiana remissionis postulatione dimittuntur. De hisce Iacob. 3. 2. *in multis offendimus omnes.* & 1 Ioh. 1. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Hisce peccatis non obstantibus, recte dixerit quivis fidelium: Nihil condemnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu. Imò in medio harum infirmitatum, cuivis justificato Deus dicit quod Apostolo dixit, sufficit tibi gratia mea. Nam virtus mea in infirmitate perficitur.*

12. Eandem etiam explicationem quoad substantiam tradiderunt eximii & dignissimi S. S. Th. Doctores Richardus Fieldus lib. 3. de Ecclesia cap. 32. Item in appendice isti libro adjecta cap. 9. Franciscus Whitæus in libro qui inscribitur Orthodoxa fides & via ad Ecclesiam, cap. 2. sect. 2. S. 1. art. 13. & Davenantius de justitia actual. cap. 35. p. 431.

SECTIO III.

Proponuntur & confirmantur variæ assertiones de discrimine peccati mortalis & venialis.

UT vera doctrina de discrimine peccati mortalis & venialis intelligatur, diligenter considerandæ & tenendæ sunt assertiones sequentes.

2. Assertio prima. *Omne peccatum ex se est mortale, nullumque est veniale nisi per accidens*, sive per Dei misericordiam, & ob conditionem subjecti in quo est. Probatur pars prior assertionis, Primo, quia Scriptura generaliter de omni peccato pronunciat *ejus stipendium esse mortem* Rom. 6. 23. *mortis aculeum esse peccatum* 1 Cor. 15. 56. *Et finem seu fructum peccatorum esse mortem.* Rom. 6. 21. Secundo quia omne peccatum, ut infra probabitur, est contra Dei legem, cujus violatio, quæcunque ea sit, maledictionem meretur Gal. 3. 10. & Deut. 27. 26. Tertio, omne peccatum relinquit post se in anima maculam & defor-

deformitatem, quæ ex se, & secluſa miſericordia Dei qui illam maculam ex indebito favore aufert, in æternum excluderet peccatorem ex regno cœleſti. Nam *nihil inquinatum ad illud intrare poteſt.* Apoc. 21.27. Ergo peccatum omne ex ſe eſt mortale. Quartò omne peccatum reproborum, etiam leviſſimum, in die judicii æterna pœna punietur, ut ipſi adverſarii fatentur. Ergo peccata reproborum leviſſima æternam pœnam merentur. Quinto, Deus peccata venialia ex gratia remittit. Ergo poteſt ea nunquam remittere, & proinde æternùm punire. Hæc omnia infra fuſiùs probabuntur.

3. Poſterior pars aſſertionis neceſſariò ſequitur ex priori. Si enim omne peccatum eſt ex ſe mortale, proculdubio ea quæ ſunt venialia, ſunt talia per accidens: viz. quia ſunt in homine regenito, cum quo Deus non ſtricto jure ſed gratioſè & clementer agere vult. Ab hac parte noſtræ aſſertionis non multum abhorret id, quod dicit Cajetanus in 1*am* 2æ ſuper quæſt 87. Art. 5. *Remiſſibilitas* (inquit) *& irremiſſibilitas tam culpæ, quam pœnæ, poſitivè ſumptæ, attenduntur penes ſtatum ſubjecti, ſcilicet eſſe in ſtatu gratiæ, vel non: & non attenduntur univerſaliter penes ipſa peccata: & non advertere hoc multos decepit.* Et infrà *penes culpas autem loquendo nullæ culpæ eſt, ſecundum ſe remiſſibilis poſitivè, quia nulla culpa ſibi vendicat remiſſionem ſeu veniam* &c. Quod autem ibidem addit aliquam culpam eſſe ex ſe venialem ſeu remiſſibilem *negativè*, id infra confutabitur.

4. Secunda aſſertio: *Omnia reproborum peccata ſunt mortalia.* Ratio aſſertionis eſt quia nullum peccatum eſt veniale ex ſe, ſed tantum ex ſingulari Dei gratia & miſericordia. At hæc gratia ad reprobos non extenditur. Ergo eorum peccata omnia, etiam leviſſima, ſunt mortalia; idque non tantum *ex merito*, quod jam probatum eſt, ſed etiam *ab eventu*, quia viz. æterna morte actu puniuntur. Poſterius hoc, quod viz. peccata leviſſima reproborum ſint mortalia *ab eventu*, ſive eterna morte punian-

niantur ab ipsis conceditur adversariis, qui tamen prius illud de eorum *merito* aut potius *demerito* præfractè negant. Ita enim docet Thomas 1*am* 2*æ* quæst. 87. art 5. ad 3*æ* parte 3*ām* quæst. 87 art. 4. quæst. 7. de malo, art. 10, & in 4. sentent. distinct. 21. q. 1. art. 2. Ita etiam docent recentiores fere omnes. Sed non advertunt id quod infra probabitur, nullum peccatum posse esse *mortale ab eventu*, nisi etiam sit *mortale ex merito*: nam alioqui sequetur Deum punire peccata graviori pœna quam ipsa merentur.

5. Tertia assertio: *Etsi omnia reproborum peccata sunt mortalia, non tamen è contrario dicendum est omnia electorum peccata esse venialia*: Nam peccata eorundem atrocia & conscientiam vastantia non solum merentur exclusionem à favore Dei, & à regno cœlesti, sed etiam ab eo favoris gradu quo antea à Deo diligebantur eos actu excludunt, & si in iis perseverarent, eos à regno cœlesti in æternum excluderent. Ergo peccata atrocia electorum dicenda sunt mortalia. Probatur antecedens, quia scriptura de hujusmodi peccatis expressè scribit, quod *quicunque ea facit* (supple & in iis perseverat) *regni cœlestis & vitæ æternæ particeps esse nequeat*, 1 Cor. 6. 9, 10. Et Gal. 5. 21. Eph. 5. 5. Item Scriptura dicit, *tribulationem & angustiam esse in omnem animam hominis operantis malum*, Rom. 2. 9. *eos qui secundum carnem vivunt, morituros esse*, Rom. 8. 13. ob atrocia peccata *iram Dei venire super homines contumaces*, Col. 3. 6. Deumque *odisse ac abominari eos qui talia faciunt*; Prov. 6. v. 16, 12. v. 22. 17. v. 15.

6. Quarta assertio: *Quædam regenitorum peccata rectè dicuntur venialia*, quia juxta gratiosum Dei fœdus & paternam benignitatem, non excludunt illos à spe regni cœlestis, aut ab eo favoris gradu, quo prius à Deo diligebantur. Hujusmodi sunt rebelles & involuntarii concupiscentiæ motus, Item defectus & nævi qui bonis renatorum operibus adhæresunt. Denique ea quæ ex materiæ parvitate venialia vocantur, quia viz. in re levi aut mi-

minoris momenti committuntur. De hisce peccatis loquitur Scriptura, Jac. 3. 2. *In multis offendimus omnes.* 1. Joh. 1. 8. *Si dixerimus nos peccatum non habere, fallimus nos ipsos & veritas in nobis non est.* Et Eccles. 7. 20. *Non est justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Quod autem hujusmodi quotidianæ incursionis delicta non excludant fideles à favore Dei, & à spe regni cœlestis, patet, quia non obstantibus his peccatis fideles dicuntur *ambulare non secundum carnem sed secundum spiritum. Nulla autem est condemnatio iis* qui sic ambulant Rom. 8. 1.

7. Quinta assertio. *Quod hujusmodi regenitorum peccata eos non excludant à favore DEI, & à spe regni cœlestis id simpliciter & absolute habent, non ex natura sua, sed ex DEI misericordia.* Hujus assertionis veritas patet ex iis quæ dicta sunt in explicatione primæ assertionis. Si enim omne peccatum ex se meretur exclusionem a favore Dei, & à regno cœlesti, necessario sequitur ea peccata quæ renatos non excludunt à favore Dei, hoc non ex se & sua natura habere, sed ex Dei misericordia. Notet autem lector hanc nostram doctrinam de peccatis levioribus regenitorum, quod viz. non ex sua natura, sed ex Dei misericordia venialia sint, olim in ipsa Ecclesia Romana traditam & propugnatam fuisse à Gersone & Jacobo Almaino, quos postea secutus est Rossensis contra Lutherum scribens, ut testantur ipsi adversarii, viz. Bellar. lib. 1. de amissione gratiæ, cap. 4. Vasquez. in 1. 2. Disput. 142. cap. 1. Curiel. in eandem partem Thomæ quæst. 88. Art. 1. dub. 2. & alii multi.

8. Sexta assertio: *Si vero peccata regenitorum levioria comparativè considerentur* (hoc est si conferantur cum eorundem peccatis gravioribus) *sique quæratur cur illa potius quam hæc sint venialia, & à favore DEI non excludant? dicendum est ea ex se & sua natura hoc habere.* Etsi enim *absolutè* loquendo hæc peccata sunt gravia, *comparativè* tamen levia sunt & hæc *comparativa* eorum *levitas*, quæ in ipsorum

natura

tura est fundata, procul dubio est ratio, ob quam eus voluit ea sub fœdere gratiæ clementiùs pu-ire, quam atrocia & conscientiam vastantia pec-ata.

9. Septima assertio: *Nullum est genus peccati venialis, quod non fieri possit mortale per multiplicationem actuum*, intellige, *deliberatam & licentiosam*, v. g. si uis stultiloquii aut vaniloquii peccata, quæ Ber-ardus de præcept. & dispens. Cap. 14. numerat nter leviora & venialia, contemnat, negligat, & ex eliberato consilio multiplicet ac reiteret; is pro-uldubio reatum damnabilem contrahet, & iram Dei adversus se mirum in modum provocabit. Hæc assertio opposita est doctrinæ Pontificiorum, qui peccatum veniale non fieri mortale *per multi-plicationem actuum*, item posse aliquem absque gra-vis offensæ reatu peccata venialia *ex contemptu* committere intrepidè affirmant. Hanc doctrinam, ut falsam & impiam damnamus. Primò enim hæc peccata illis solis venialia sunt, qui ea detestantur, & pro viribus fugiunt, quique sub eorum pondere gemunt & suam miseriam ac turpitudinem, quam ex eorum maculis & sordibus contrahunt, seriò deplorant, juxta Apostoli querimoniam, Rom. 7. 24. Secundo peccata venialia multiplicata ad pec-catum mortale disponunt & viam patefaciunt, ut docet Thomas 1. 2. quæst. 88. art. 3. & 4. Ergo negligere ea, est ipsum mortale peccatum negli-gere. Tertiò neglectus aut contemptus peccati cujuslibet non fit sine insigni injuria & offensa Dei. Est enim ipsum inobedientiæ seu rebelli-onis crimen, de quo vide 1 Sam. 15. 23. Unde Bernardus loco nuper citato. *Hæc* (inquit) *venialia non criminalia reputantur, excepto cum per contemptum in usum & consuetudinem vertuntur*: & infra, *Elatio quippe contemnentis, atque impœnitentis obstinatio in mi-nimis quoque mandatis culpam facit non minimam; & convertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levem simplicis transgressionis. Denique in quo inobedientiæ cri-*

men

men absque dubio sit, apud Samuelem (lib. 1. ca 15. v. 23.) advertite. Quasi (inquit) *peccatum hari olandi est repugnare, & quasi scelus adolatriæ nol acquiescere.*

10. Alphonsus Curiel. in primam secundæ quæ 88. artic. 4. S. 2. ut ostendat peccatum venial absque infigni Dei injuria contemni posse, distin guit contemptum peccati in *contemptum formalem* seu universalem peccati in genere, & *contemptu particularem peccati venialis qua tale est.* Priorem quem appellat *contemptum legislatoris & legis*, dic consistere in hoc quod est absolute nolle subjici Deo & nolle vitare peccata, eumque esse grave & mortal peccatum fatetur. Posteriorem verò qui in eo con sistit, quod est contemnere peccata venialia, qua tali sunt, ob eorum levitatem, negat esse offensam aut injuriam gravem. At certe contemnere peccatum veniale in specie qua tale est, est contemnere legi divinæ præcepta, imo ipsum legislatorem, quatenus per ea præcepta peccata venialia prohibet. Nec satisfacit quod in confirmationem hujus effugii affert Curiel, cum dicit præcepta illa quibus prohibentur peccata venialia, non esse absolute præcepta, quoniam eorum observatio non est absolute ad salutem necessaria. Nam secundum rigorem legis, observatio cujuslibet præcepti legis divinæ est absolutè ad salutem necessaria: quod ex infrà dicendis patebit: ostendemus enim Deum in fœdere operum omnia peccata & per consequens cujuslibet præcepti legalis transgressionem, sub pœna æternæ mortis prohibuisse.

SECTIO.

SECTIO IV.

De quintuplici differentia pecati mortalis & venialis.

PEccata mortalia ab iis quæ venialia vocantur, quinque modis differunt, viz. 1. ratione evitabilitatis: 2. ratione obligationis qua obligamur ad ea vitanda. 3. ratione ipſorum actuum. 4. ratione effectuum qui hos actus conſequuntur. 5. ratione pœnitentiæ ad eorum remiſſionem requiſitæ.

2. Primò igitur peccata mortalia ab iis quæ venialia vocantur differunt *ratione evitabilitatis*, hoc eſt, ratione virium quas per gratiam Dei habemus ad ea vitanda. Poteſt enim homo regenitus vi & ſubſidio gratiæ, partim internæ ſeu *inhærentis*, quæ habitualis dicitur, partim externæ ſeu *aſſiſtentis*, quam gratiam auxilii ſpecialis vocant, poteſt inquam, vitare illa carnis opera manifeſta, illa peccata atrocia, quæ 1 Cor. 6. v. 9, 10. & Gal. 5. v. 19, 20, 21. recenſentur; unde damnamus rigidiſſimam & in ipſum Deum contumelioſam quorundam ſententiam, qui dicunt hominem non poſſe plus boni facere quam facit, nec plus mali omittere quam omittere quam omittit. Hoc enim ſive de homine irregenito & animali, ſive de regenito & gratia ſantificante ſufulto intelligatur, falſum eſt, ut bene obſervant Theologi magnæ Brittaniæ in ſuo judicio de Sanctorum perſeverantia, Synodo Dordrechtanæ exhibito, parte ultima, quæ eſt de theſibus heterodoxis, theſ. 4.

3. Illa vero leviora peccata, quæ venialia vocantur nullus ſanctorum per eam gratiæ menſuram, quam Deus iis in hac vita admetiri ſolet, diu vitare poteſt, nedum toto tempore vitæ ſuæ ut patet ex Eccleſ. 7. verſ. 20. 1 Regum, 8. v. 46. Jacob. 3. v. 2. 1 Johan. 1. v. 8. & 10. Et hoc nunc certum & indubitatum apud omnes eſt. Quamvis enim de poſſibilitate vitandi illa leviora peccata diſcrepantes fuerint patrum ſententiæ; &

nam

nam Hieronimus & Orosius Pelagii dogma, q
asserebat nos per Dei gratiam posse esse s
peccato, ut c/assum & absurdum errorem dam
bant: quinque Episcopi Africani in Epistola
Innocentium Papam missa, quæ inter Augus
Epistolas est 95. dicebant illud dogma eo modo co
ceptum, quo à quibusdam Catholicis concipiebat
(Pelagius enim ambiguo gratiæ vocabulo simplici
ribus imponebat) esse errorem, sed humanum & t
lerabilem: Augustinus vero, qui etiam illorum qui
que Episcoporum unus erat, sæpe de hoc dogma
sic scribit, quasi illud pro certo & manifesto erro
non haberet, vide ejus lib. 2. de peccatorum meri
& remissione cap: 6. & lib. de natura & gratia, c
42. & 60.) nulla tamen inter nos & adversarios h
de re est controversia. Nam concil. Trident. Sess.
can. 23. *Neminem in tota vita mortali posse pecc*
omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali &
traordinario privilegio expresse definivit. Dicit q
dem Vega de justif. lib. 14. cap. 21. *Justos posse*
DEI gratiam etiam tota vita omnia peccata venia
vitare; sed primò illa potentia vivendi sine pecc
quam *Logicam*, seu *Metaphysicam* vocat mera chima
est. Nam ipse cap. præcedenti dicit *moraliter* impos
bile esse vitare omnia peccata venialia toto tempo
vitæ: & hanc *impossibilitatem moralem* explicans dic
neminem ex tota multitudine virorum sapientia
sanctitate conspicuorum, qui tot seculis elapsis sum
studio totaque vi & ope sua conati sunt vivere sine p
cato, vitâsse, aut moraliter vitare potuisse omnia p
cata venialia. Secundo hanc ejus sententiam da
nant & rejiciunt recentiores omnes: Vide Suarezi
lib. 9. de divina gratia, cap. 8. S. 13. & sequentib
Vide etiam Vasquezium in 1. 2. disput. 189. c
16. n. 147. & disput. 212. cap. 2. n. 15,
& 17.

4. Secundo differunt ratione obligationis,
ad ea vitanda obligamur: Quod discrimen ut
telligatur tenendum est. Primò, fœdus operum
lig

igare ad omnia & singula legis præcepta perfectè quoad omnes particulas, conditiones, & circumstantias exactæ obedientiæ, servanda, & proinde ad vitanda omnia, etiam levissima peccata, idque strictè & præcisè sub periculo, & pœna æternæ damnationis. Ita sentiunt Euangelici omnes contra Pontificios, quorum delirium de obligatione legis ad vitanda peccata venialia sub periculo solius pœnæ temporalis, infrà, Deo adjuvante, confutabimus.

5. Secundò, tenendum est fœdus gratiæ non tollere obligationem legis, qua nos ad omnes gradus conditiones & circumstantias perfectæ obedientiæ præstandas, & per consequens ad omnia, etiam levissima peccata fugienda obligat. Ab hac assertione dissentire videtur Spalatensis lib. 7. de rep. Eccles cap. 11. S. 135, 136, 139, & 149. Ubi dicit eas conditiones, particulas & circumstantias perfectæ obedientiæ, quæ humanæ imbecilitati gratia adjutæ impossibiles sunt, nunc non esse sub præcepto. Item sufficientem legis moralis impletionem, *quoad ea quæ sub præceptum cadunt*, esse possibilem. Sed hoc duobus modis concipi potest. Vel enim intelligit eos obedientiæ lege præscriptæ gradus, qui nostræ infirmitati impossibiles sunt, non esse sub præcepto obligante strictè & præcisè sub pœna damnationis; vel intelligit eos nullo modo esse sub præcepto. Si priori modo concipiatur ejus sententia, verissima est, ut mox patebit. At si posteriori modo intelligatur haud facilè defendi potest. Primò enim si inevitabiles illi nævi & defectus nostræ obedientiæ nunc lege divina non prohibentur non sunt peccata, & proinde necesse non est ut ob eos miseriam nostram ac reatum coram Deo agnoscamus. At hoc Apostoli Pauli Rom. 7. v. 24. &, ut puto, omnium piorum praxi repugnat. Secundò, omnes tam Euangelici quam Pontificii negant Christum liberâsse nos ab observatione legis: Imò id negat Christus ipse Math. 5. vers. 17. & Paulus Chri-

Christum sequutus. Rom. 3. v. 31. Tertiò, fœdus gratiæ proponit nobis universam justitiæ perfectionem ut affectandam & pro viribus assequendam, Math. 5. v. 48. 1 Petri 1. 16. & ab iis qui eam non assequuntur, dolorem ac humilem reatus agnitionem exigit. Ergo non simpliciter tollit obligationem, qua ullam legis partem observare tenemur. Quartò, si Deus ulla in re legis moralis obligationem ad obedientiam sub fœdere gratiæ tollit, tunc in lege morali dispensat. Nam dispensare in lege aut in præcepto aliquo legis nihil aliud est, quam *removere obligationem à materia præcepti considerata secundum omnes conditiones, quæ in eo requiruntur aut præscribuntur*, ut bene monet Valent. tom. 2. disput. 7. quæst. 4. punct. 6. At Deus in lege morali, seu naturali, non dispensat, ut docent non solum Euangelici, sed & major ac melior Pontificiorum Theologorum pars. Vide Cajetanum in primam secundæ super quæst. 100. art. 8. Vasquezium in primam secundæ tom. 2. disp. 179. C. 2. Valent. loco citato, & Becanum parte 2. Summæ Theologicæ tractat. 3. cap. 3. quæst. 4. Hi enim sententiam Thomæ & Richardi de indispensabilitate præceptorum decalogi sequuntur contra Gersonem & Almaynum.

6. Tertiò denique tenendum est fœdus gratiæ etsi obligationem legis non tollat, tollere tamen rigorem, seu severitatem & terribilitatem illius obligationis. Quamvis enim universam justitiæ perfectionem nobis ob oculos ponat ut affectandam & pro viribus assequendam non tamen strictè & præcisè sub periculo & pœna æternæ damnationis eam exigit. Nam ad certam quidem obedientiæ mensuram, quæ viz. per gratiam ordinariam est possibilis, strictè & præcisè, hoc est, sub æternæ damnationis periculo obligat exigendo ut eam actu habeamus. Ad ulteriorem verò mensuram, quam viribus gratiæ ordinariis assequi

non

ón poſſumus, obligat minus ſtrictè, viz. exigendo ut eam habeamus ſaltem *in voto & conatu.* v. g. ad *perfectionem partium*, ut vocant, obligat præciſè. Nam non aliter vitam æternam promittit, quàm hâc conditione, ut eam actu habeamus. Ad perfectionem verò eam, quæ *graduum* dicitur, non tam ſtrictè & præciſè obligat: ſed tantùm exigit, ut pro viribus gratiæ nobis conceſſæ eam aſſequi ſtudeamus & conemur

7. Hinc patet fideles etiam ſecundum ἐπιείκειαν Euangelicam ſtrictè & præciſè ſub periculo æternæ mortis obligari ad vivendum ſine omnibus illis peccatis, quæ mortalia vocantur. Nam ad *perfectionem* attinet, ut non ſolùm de peccatis illis gravioribus pœnitentiam agamus ſed etiam ut ab, iis omnibus abſtineamus, hoc eſt, ut impoſterum ea non committamus, juxta illud Chriſti Johan. 5. 14. *Ecce ſanus factus es, ne peccato amplius*, &c. At non ſic obligantur, ut vivant impoſterum ſine omni peccato etiam leviſſimo. Nam vivere ſine levioribus illis peccatis, quæ venialia vocantur, pertinet ad *perfectionem graduum*, quæ omnes obedientiæ humanæ nævos ac defectus excludit. Ex ſupra dictis enim patethos nævos ac defectus inter leviora ſeu venialia peccata numerari.

8. Tertiò, peccatum mortale & veniale differunt *ratione ipſorum actuum:* nam fœditas aut deformitas, quæ in peccatis levioribus invenitur, multò minor eſt eâ, quæ peccatis mortalibus ineſt. In omni enim peccato veniali eſt aliquid, quod offenſam per illud commiſſam extenuat, & apud gratioſum judicem quodamodo excuſat. Patet hoc ex tribus illis peccati venialis ſpeciebus, quæ à Scholaſticis adferri ſolent. Nam eorum primum hoc eſt, *peccatum veniale ex genere ſuo* apud Deum, gratioſè & ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum judicantem, excuſat offenſæ levitas (loquor de *levitate comparativâ*, nam nullum peccatum *abſolutè leve* eſt) quam habet ex ipſâ naturâ

pecifica actus in se considerati, absque respectu ad modum agendi, aut ad particularem materiam in qua committitur: ut v. g. in verbo otioso, risu nimio, &c. Secundam vero peccati venialis speciem, hoc est, *peccatum ex subreptione* excusat levitas offensæ, quam habet, non ex natura specifica actus in se considerati, sed ex modo quo actus ille ab agente procedit, quia viz. agens non plenè & sufficienter deliberavit: ut v. g. in subito appetitu vindictæ aut libidinis. Nam appetitus vindictæ ex natura sua specifica non est peccatum leve, sed per accidens est leve, quia fit ex indeliberatione. Tertiam verò ejus speciem, hoc est, *peccatum veniale ex parvitate materiæ*, excusat levitas offensæ, quam habet non ex natura specifica actus, sed ex limitatione ejus ad particularem materiam, ut in furto unius oboli. Nam furtum ex natura sua specifica, non est peccatum leve, sed ex accidente, quia committitur in re minoris momenti.

9. Quartò differunt *ratione effectuum*, qui hos actus consequuntur: hoc est, ratione detrimenti quod peccantibus afferunt. Nam calamitates & damna, quæ ex peccatis mortalibus fidelibus accidunt, multa graviora & tristiora sunt iis, quæ consequuntur peccata leviora, seu venialia, ut ex sequenti sect. patebit.

10. Quinto differunt *ratione pœnitentiæ ad eorum remissionem requisitæ*. Primò enim sicut ipsa peccata mortalia sunt gravia, horrenda, & in vitæ Christianæ cursu rara & extraordinaria, ita pœnitentia quæ ad ea expurganda necessariò requiritur, singularis, magis accurata, & extraordinaria esse debet, Psal. 51. Matth. 26, 75. Luc. 7. 38. 2 Cor. 7. 11. At ordinarium & quotidianum pœnitentiæ exercitium, ex Pontificiorum sententia *condignè sufficit*, ex nostra verò *gratioſè à Deo acceptatur*, & pro sufficienti habetur ad expurganda peccata venialia. Unde Augustinus de Symb. ad Catechumenos, lib. 1. cap. 7. & lib. 50. hom. 28. cap. 6. dicit, propter levia pec-

cata,

cata, ſine quibus eſſe non poſſumus, inventam eſſe orationem dominicam, & ſpeciatim illam petitionem. *Dimitte nobis debita noſtra*, quam *quotidianam medicinam* eidem appellat.

11. Secundo, ad expurgandum peccatorum mortalium reatum requiritur ſpecialis eorum agnitio, ſeu confeſſio, ſpecialis item dolor ſive contritio, Pſal. 51. 14. At pro venialium maxima parte expurganda acceptatur generalis, ſed humilis ſeria, & doloroſa noſtræ corruptionis agnitio, adjunctam habens generalem illam deprecationem *ab occultis munda me*, Pſal. 19. 12. Nam leviora illa, & quotidianæ incurſionis delicta multo maxima ex parte noſtram ſcientiam fugiunt. Interim libenter fatemur ea hujus generis peccata, quæ à nobis obſervantur, ſpeciatim agnoſcenda & deploranda eſſe.

12. Tertio, pœnitentia ad peccatorum mortalium remiſſionem, & ad ſalutem eorum qui ea committunt, neceſſaria, debet eſſe perfectè practica, hoc eſt, exire debet in realem & actualem, ab omnibus hujus generis peccatis ceſſationem, Pro. 28. 13. Joh. 5. 14. nam ſi aliquis uno aut altero peccato mortali relicto in alia ſubinde labatur, is neq; gratiam in hac vita, nec gloriam in vita futura conſequi poterit. 1 Cor. 6. 9, 10. Gal. 5. 21. Contrà vero pœnitentia ad venialium peccatorum remiſſionem requiſita, nec eſt, nec eſſe poteſt perfectè practica, quoad hujus generis peccata. Nam, ut omnes fatentur, nemo ſine hujus generis peccatis vivere poteſt: & per conſequens, non periclitatur piorum ſalus, etſi ante finem vitæ, non poſſint hoc peccati genus effugere. Vide tom. 1. operum Urſini, lib. de locis Theol. loco de peccato, quæſt. 2. reſponſ. ad dub. 5. de 2. diviſione peccati.

SECTIO V.

De primo effecto peccati Mortalis, hoc est, de exclusione peccantis à favore Dei, déque duplici distinctione amoris Divini.

QUamvis omnia peccata ex se maximè damnosa & mortifera sint, multa tamen, eaque horrenda & tremenda effecta consequuntur peccata renatorum mortalia, quæ juxta dispensationem providentiæ divinæ sub fœdere gratiæ, pecata leviora ab ipsis commissa non consequntur. Non possum in brevi hoc tractatu ea omnia speciatim considerare, ideóque tria tantùm præcipua & notissima, ad quæ reliqua omnia aliquo modo referri possunt in medium afferam & lectori diligentiùs perpendenda relinquam.

2. Primum damnum, quod peccati mortalis commissionem consequitur, est *exclusio peccantis ab eo gradu favoris divini, quo prius à Deo diligebatur.* Ut autem hoc dextrè intelligatur, observandum est primò specialem Dei amorem, quo electos in Christo prosequitur, distingui in *amorem beneficentiæ & & amorem complacentiæ.* Amor beneficentiæ erga electos includit respectum ad beneficium aliquod aut donum iis conferendum. Est enim actus voluntatis divinæ, quo vult confere iis bona ad æternam salutem utilia. Amor complacentiæ, seu delectatio quam Deus ex iis capit, per se, & quà talis est, non includit respectum ad donum aliquod iis conferendum, sed ad donum aliquod iis anteà collatum. Deus enim *complacentiam aut oblectationem capit* ex virtutibus electorum & earum piis actionibus quæ ipsius dona sunt, ut patet ex Psal. 45. 7. Psal. 147. 11. Cantic. 2. 14. Heb. 13. 16. Item amor specialis beneficentiæ respicit electos, quatenus sunt beneficiis spiritualibus ornandi, & supra humanam conditionem ad divinæ naturæ participationem evehendi. Amor complacentiæ respicit eos quatenus sunt beneficiis spiritualibus

jam

jam ornati & ſupra humanam conditionem evecti, atque adeo divinæ naturæ conſortes facti 2 Pet. 1. 4. De hac diſtinctione amoris divini in amorem beneficentiæ & complacentiæ, vide Suarezium lib. 7. de divinâ gratiâ cap. 1. S. 22.

3. Obſervandum eſt ſecundò amorem beneficentiæ in Deo diſtingui in *amorem intentionis* & *amorem executionis*. Hanc diſtinctionem ſic explicat Suarez. lib. 1. de prædeſtinat. cap. 11. S. 5. *Eſt* (inquit) *in Deo verus, amor præordinans hominem ad aliquod bonum, ſecundum rationem diſtinctus ab eo amore qui conſiſtit in actuali collatione talis boni: prior dici poteſt amor intentionis & propoſiti, poſterior verò executionis.* Hæ duæ diſtinctiones bimembres à Clariſſ. Zanchio in unam trimembrem eamque elegantem & perſpicuam reducuntur lib. 4. de naturâ Dei cap. 3. quæſt. 1. num 2. ubi dicit amorem Dei non ſignificare affectionem aut paſſionem, ſicut in nobis, ſed tres res omninò perfectas. viz. primò *æternam benevolentiam* ſeu propoſitum benefaciendi, ſecundo *actualem beneficentiam* ſeu illius propoſiti executionem aliquam, tertiò *complacentiam ſeu oblectationem in aliquâ re.* Verùm quia amor executionis, ſeu actualis beneficentiæ, minus propriè dicitur amor: eſt enim potius amoris divini effectus; idcircò lectori prudenti judicandum relinquo, utrum ejus loco ſubſtitui debeat alius terminus, viz. *promptitudo benefaciendi*, hoc eſt benevolentia Dei conſiderata cum reſpectu ad eum hominis ſtatum in quo ille talis beneficii capax eſt. Quamvis enim Deus ex ſe ſemper paratus ſit ad benefaciendum homini illi, quem elegit, juſtificavit, & in filium adoptavit, ſæpe tamen *peccata ejus dividunt inter Deum & illum, & abſcondunt faciem Dei ab eo, ne exaudiat eum.* Iſaiæ 59. 2. In quo caſu benevolentia divina quaſi ligata & impedita eſt, ne in actum exeat idque ob nullam ejus mutationem in ſe, ſed ob incapacitatem objecti, quia viz, durante eo ſtatu, hoc eſt, quamdiu in hujuſmodi peccatis peſeve-

rat, & per pœnitentiam non resurgit, Deus non potest, salva sua veracitate & immutabilitate decreti, quo decrevit nulli adulto remittere hujusmodi peccata, nisi præeunte extraordinaria pœnitentia, non potest inquam, peccata ea in quæ lapsus est remittere, eumque participem facere spiritualium beneficiorum, quæ in justificatos *secundum spiritum ambulantes* conferre solet: hoc est, non potest *pro tunc* in eum conferre augmentum gratiæ inhærentis, lætitiam spiritus, pacem & tranquillitatem conscientiæ, & protectionem contra tentationum impulsus, quam Scholastici vocabulo barbaro: sed ad rei naturam exprimendam aptissimo, & phrasi Scripturæ convenientissimo, *manutenentiam divinam* vocant Vide Psal. 73. 23, 24.

4. Tertiò est observandum amorem Dei, quo prosequimur justificatos omnes, hos tres actus in se complecti. Primo enim *amat eos amore intentionis, seu propositi*, quia consilium & propositum suum de illis ad æternam gloriam perducendis non mutat, ne quidem cùm illi in gravissima scelera prolabuntur, Jer. 31. 3. Hos. 2. 19. Mal. 3. 6, Rom. 8. 38, 39. & 11. 29. Et proinde multo minus illud mutat quando illi in suo novæ obedientiæ proposito permanent.

5. Secundò *amat eos amore executionis*, estque absolutè & simpliciter promtus ac paratus ad priora beneficia posterioribus cumulanda: hoc est, ad augendam in iis gratiam, pacem conscientiæ, & lætitiam spiritualem, item ad condonandos nævos ac defectus obedientiæ quam sibi præstant, &, si tunc eos ex hâc vita evocet, ad eos glorificandos. Dico eum simpliciter seu omni ex parte esse paratum ad hæc facienda, quia objectum benevolentiæ divinæ, hoc est, homines electi, tunc capaces sunt horum beneficiorum; & proinde nihil impedit, sive ex parte Dei, sive ex parte electorum, quo minus ea dona in illos tunc conferantur, quæ Deus novit esse ipsis pro tempore utilia. De hoc amore actualis beneficentiæ erga electos fusè differit Zanchius loco citato quæst

quæst. 3, 4. ubi variis tum S. Scripturæ testimoniis, tum rationibus probat præter amorem intentionis seu propositi esse alium, eumque ulteriorem amoris divini actum erga justificatos secundum spiritum ambulantes, quo vult eos tunc, & durante illo statu, suorum beneficiorum magis ac magis participes esse. Sed res ex se clara est.

6. Tertiò, *amat eos amore complacentiæ seu oblectationis*; quia quo magis virtutibus spiritualibus, earumque actionibus ornantur, eo Deo similiores, & per consequens pulchriores, ac amabiliores in conspectu ejus fiunt, ut egregiè docet Zanchius loco citato. Hoc etiam manifestissimè patet ex testimoniis Scripturæ supra citatis, S. 2. Ea enim ostendunt Deum *piis hominibus & victimis bonorum operum*, quas ei offerunt, *oblectari*; item, *eorum vocem apud eum esse dulcem, & aspectum esse decorum*: non quod hæc per se, & secluso intuitu meritorum Christi, valeant hominem Deo gratum facere, aut quod possint eum justificare, seu Deo reconciliare; Sed primò quia ex his resultat pulchritudo quædam spiritualis, & quædam imago, similitudo ac paticipatio divinæ naturæ, 2 Pet. 1. 4. quæ, si per se, & secluso respectu nævorum ei adhærentium consideretur, non potest non esse Deo grata & jucunda. Secundò quia piorum obedientia, licet imperfecta sit, gratiose tamen à Deo propter Christum acceptatur: nam *nos gratis sibi acceptos fecit in illo dilecto*. Ephes. 1. 6.

7. His positis facile est ostendere regenitos, cùm peccatorum mortalium reatum contrahunt, excludi ab eo favoris gradu, quo Deus ipsos prius prosequebatur. Quamvis enim semper eos diligat, *amore intentionis seu propositi* ut supra monui, non tamen semper eos diligit, *amore executionis*, & *amore oblectationis*. Quando enim suo vitio in attrecia peccata incidunt, tunc benevolentia Dei erga ipsos ita ligata & impedita est, per obicem quem eorum peccata ei ponunt, ut non possit, durante eo statu, in eos conferre remissionem peccatorum, aut pacem & gaudium

dium conscientiæ, & multò minus illam gloriam, ad quam ab æterno eos ordinavit. Patet hoc ex iis omnibus Scripturæ testimoniis, quæ docent *eos qui talia faciunt, vitæ æternæ participes esse non posse*: item ex iis locis quibus asseritur, *impios perituros esse, nisi pœnitentiam egerint*, & Deum *non exaudire illos qui iniquitatem in corde suo respiciunt*. Vide Psal. 66. 18. Ezec. 18. 20, 21, 24, 26, 27. Luc. 13. 3. Joh. 9. 31. 2 Tim. 2. 19. Similiter quod ad *amorem complacentiæ* attinet, sicut Scriptura testatur Deum delectari piis secundum Spiritum ambulantibus, ita etiam testatur *Deum non delectari iis, qui se subducunt*, Heb. 10. 38. *eumque odisse omnes, qui iniquitatem operantur* Psal. 5. 5. Item Deum *abominari, seu detestari oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes sanguinem*, &c. Prov. 6. 16. Hinc enim manifestè sequitur ipsos regenitos, in hæc peccata prolapsos, *quà tales sunt*, esse objecta odii divini, & *abominationem animæ ejus*. Præterea Scriptura testatur eos, qui hujusmodi atrocia peccata committunt, ita Deo displicere, ut ipsa bona opera, quæ durante hoc statu faciunt, nullo modo Deo grata sint, aut accepta, Isa. 1. 11, 13, 14, 15.

8. Cæterùm notet hic Lector, odium hoc, quo Deus regenitos mortaliter peccantes prosequitur, non esse *odium hostile*, seu (ut Scholastici loquuntur) *odium inimicitiæ*, sed tantùm *odium displicentiæ*; nam non est conjunctum cum proposito damnandi, sicut odium quo prosequitur reprobos in talia peccata prolapsos. Secundò notandum est regenitos, cùm in atrocia peccata incidunt, *non totaliter, sed magna ex parte* excludi à divino amore executionis & complacentiæ. Nam *semen Dei in ipsis manet*, ut testatur Johannes, 1 Epist. cap. 3. 9. & per consequens Deus, etiam durante eo statu, aliquo modo exequitur propositum suum de iis salvandis, quia viz. cœleste illud semen in eorum cordibus conservat, & ex eo sic conservato complacentiam & oblectationem aliquam capit. Tertiò notandum est, *partialem* hanc & *temporariam* justificatorum exclusionem

sionem ab amore divino (loquor de amore executionis, & amore complacentiæ) accedere sine ullâ reali mutatione voluntatis divinæ, ut patebit ex sectione sequenti.

SECTIO VI.

Deum posse eos amare quos priùs odit, & odisse eos quos priùs amavit, absque ullâ vel physicâ, vel morali voluntatis suæ mutatione, obiter declaratur.

EX doctrinâ, præcedenti Sectione traditâ, de Justificatorum ad certum tempus exclusione ab eo favoris divini gradu, quo prius diligebantur, nequaquam sequitur Deum, aut voluntatem Dei in se mutabilem esse, sive loquamur de *mutabilitate physicâ, sive de mutabilitate morali.*

Nam quod ad divinum *amorem executionis* attinet, Deum non amare Justificatos peccati mortalis reatu involutos *amore executionis*, nihil aliud est, quam eum non conferre in illos ea bona spiritualia seu media salutis, quæ priùs in eos conferebat. Nulla igitur est hic mutatio quoad *actus immanentes*, qui in ipso Deo existunt, sed tantùm quoad *actus transeuntes*, qui sunt extra Deum & in hominibus recipiuntur, & proinde iis mutatis non mutatur Deus, sed illi in quibus hi actus, & eorum effecta recipiuntur. Dicet aliquis: Deus non solum non confert illa beneficia in eos, sed etiam durante eo statu, non vult ea conferre: priùs autem voluit ea conferre: & proinde mutatus est. Resp. Voluit priùs illa beneficia communicare iis existentibus in alio statu. Sed iis existentibus in hoc statu impietatis & impœnitentiæ, neque jam vult, neque unquam voluit, imò ab æterno noluit hæc beneficia communicare. Quamvis igitur, durante hoc statu, benevolentia Dei quasi ligata & impedita sit, ut supra monui, hinc tamen non sequitur eam in se mutatam esse: sed tantum mutatum esse ejus objectum, quia viz. ob-

jectum ejus, hoc est, homines electi, prius erant capaces istorum beneficiorum: nunc vero eorum capaces non sunt.

3. Major & gravior difficultas est *de amore complacentiæ*, & *odio displicentiæ* ei oppositio. Cùm enim hi actus sint *immanentes*, hoc est, in ipso Deo existentes, iis mutatis videtur ipse Deus in se mutari. Responderi solet Primò, non mutari hos actus realiter, & à parte rei; quia uterque hic actus in Deo fuit ab æterno, & in æternum in eo durabit, cum respectu ad diversos istius hominis status quorum alter alteri in tempore successit. Ita respondet Fonseca tom. 3. Metaph. lib. 7. cap. 8. quæst. 5. sect. 7. *quod si* (inquit) *quis objiciat eundem posse prius odio haberi à Deo, si sit injustus, postea verò diligi, si sit justus & vice versa, sine ulla divinæ voluntatis mutatione, ergo nihil repugnare quo minus divina voluntas nullo modo mutata transeat à nolitione in volitionem rei ejusdem, ex dictis patet solutio. Deus enim non eundem odio habet, ac diligit pro eodem tempore, sed pro diversis. Adde, quod etsi in eodem homine justitia succedat peccato, aut peccatum justitiæ; tamen odio, quo Deus illum prosequitur ut peccatorem, non succedit amor, quo illum diligit ut justum, aut è contra; sed uterque affectus divinus æternus, est respiciens diversos hominis status, quorum alter alteri succedit in tempore.*

4. Secundo respondeo: Quamvis concederemus esse aliquam mutationem & successionem in actibus immanentibus amoris & odii divini formaliter consideratis, quatenus per rationem distinguuntur ab essentia divina & inter se, hoc est, quamvis diceremus actum amoris complacentiæ erga electum in hoc casu non amplius esse in Deo, eique succedere actum odii displicentiæ, non tamen inde sequeretur esse mutationem aliquam realem in ipso Deo. Nam actus Dei liberi nihil superaddunt voluntati aut essentiæ divinæ, præter respectum seu relationem rationis, aut extrinsecam aliquam connotationem, quæ tamen ad realem eorum entitatem non pertinent.

tinent. Nam tota eorum entitas realis est ipsa Dei essentia, nihilque intrinsecè includunt præter eam. Quamvis igitur Deus desineret amare eos quos prius amabat, non mutaretur mutatione reali, quia nihil reale amitteret: sique inciperet eos amare quos prius odit, non mutaretur, quia nihil reale ei accederet. Mutatio autem realis non fit sine aliqua additione aut ablatione reali.

5. Non necesse est ut hic probem actus illos nullam realem entitatem (sive ea vocetur perfectio, sive extensio actus divini ad objecta) superaddere essentiæ divinæ. Nam Euangelici omnes hoc unanimiter tenent: & quod ad Pontificios attinet, quamvis Cajetanus in 1*am* partem Thomæ quæst. 19. art. 2, 3. Fonseca tom. 3. Metaph. lib. 7. cap. 8. quæst. 5. sect 4. & Salas 1*a* 2*æ* quæst. 6. art. 3. tract. 3. disp. 3. sect. 8. doceant actus liberos Dei seu decreta ejus superaddere essentiæ divinæ realem quandam entitatem, quæ ab æterno, potuit non esse in Deo, quæque revera in eo non fuisset, si ab æterno aliter decrevisset, & hos actus non habuisset, major tamen & melior eorum pars in contraria est sententia, viz. Suarez. tom. 2. Metaph. disp. 30. sect. 9. & Vasq. in 1*am* partem Thomæ disp. 80. cap. 1, 2. Valent. tom. 1. disp. 1. quæst. 19. punct. 4. Arrubal in primam partem Thomæ, disp. 54. cap. 2. & seentibus. Becanus in Summa, part. 1. tract. 1. cap. 11. quæst. 4. Trigosus in summa Theologica Bonaventuræ quæst. 13. art. 2. dub. 3. concluf. 1. Franciscus Cumel Variarum disput. tom. 1. in disp. de præscientia Dei, dub. 3. p. 57. &c. Horum sententia proculdubio est verior illa altera, quia si in Deo est realis aliqua entitas, quæ ab æterno potuit in eo non esse, atque adeo potuit non omnino esse, seu esse merum nihil, necessario sequetur aliquid esse in Deo quod non est Deus.

6. Dicet aliquis: si mutatis actibus liberis Deus realiter non mutatur, poterit salva sua immutabilitate mutare decreta sua de rebus futuris, & proinde

poterit incipere velle quod nunquam ante voluit, vel desinere velle quod prius voluit. Nam talis mutatio decretorum divinorum fit sine aliqua additione, aut ablatione reali. Resp. duplicem esse mutationem viz. *Physicam* & *Moralem*. Physica, seu realis mutatio fit per additionem, aut ablationem alicujus entitatis realis. Moralis mutatio est propositi & voluntatis, aut etiam cognitionis & scientiæ mutatio; ut si quis quod antea putabat verum, deinde falsum judicet: & quod antea facere decreverat postea nolit. Quod sane magnam imperfectionem in eo, qui sic mutatur arguit. Vide Vasquezium in 1*am* partem Thomæ super q. 19. art. 9. art. 2. Cùm igitur Deus dicitur absolutè immutabilis, id non minus intelligitur de *morali*, quàm de *physicâ immutabilitate*. Nam mutatio propositi & concilii quæ *moralis* vocatur, arguit inconstantiam imprudentiam, & cognitionis imperfectionem, quæ non minus summæ & absolutæ Dei perfectioni repugnant, quàm physica, seu realis mutatio, ut bene observat Suarez, tom. 2. metaph. disp. 30. sect. 9. num. 58.

7. Ex his patet Deum, cùm *odio displicentiæ* prosequitur electum, quem priùs amabat *amore complacentiæ* non mutari; quamvis fortasse nunc minimè sit in eo actus complacentiæ considerarus, ut respectum rationis ad tale objectum essentiæ divinæ suderaddit: Primò enim ablato tali actu, Deus *physicè & realiter* non mutatur, quia nihil ei decedit præter merum respectum rationis, ut irrefragabilibus argumentis demonstrant Suarez, & Vasquez, locis citatis. Secundò, nequem utatur *moraliter*, quia non mutat propositum, sed contrà, permanet in suo proposito, aut potius in naturali suâ inclinatione, quâ ab æterno fuit, nunc est, & semper erit, propensus ad amandam virtutem, & ad detestanda vitia seu peccata. Permanet etiam in suo proposito perducendi eos, quos elegit & justificavit, ad æternam gloriam. Nam *solidum stat Dei fundamentum habens sigillum hoc: novit Dominus eos qui sunt sui*, 2 Tim. 2. 19.

SECTIO.

SECTIO VII.

De ſecundo & tertio effecto peccati mortalis, hoc eſt, de privatione gratiæ, & amiſſione præſentis aptitudinis ad ingrediendum regnum cœlorum.

SEcundum effectum peccati mortalis eſt amiſſio gratiæ inhærentis, de quâ Pontificii in quibuſdam nobiſcum conſentiunt, in aliis verò diſſentiunt, partim à nobis, partim etiam inter ſe.

2. Conſentimus Ptimò in hoc, quod dona ſpiritus S. aliqua ex parte amittantur, ſeu deperdantur per peccata mortalia. Secundò, quòd juſtificati mortaliter peccantes omnia dona habitualia gratiæ non amittant. Tertiò ſpeciatim, quòd. peccata mortalia fidei & ſpei habitus non excludant, aut expellant. Ita communiter docent Eccleſiæ noſtræ, ut patet ex Theologorum, tum exterorum, tum provincialium, de ſanctorum perſeverentiâ judiciis Synodo Dordrechtanæ exhibitis. Ita etiam ſentiunt Scriptores pontificii, ut expreſſe teſtatur Suarez. lib. 11. de divina gratia cap. 5. item in opere de triplici virtute Theologicâ, diſp. 7. de fide ſect. 3, & diſp. 1 de ſpe, ſect. 8. S. 2.

3. Diſſentiunt à nobis in tribus: Primò enim illi negant charitatis & gratiæ habitum remanere in eo, qui peccatum aliquod mortale commiſit: hoc eſt, peccata mortalia totaliter expellere charitatis habitum opinantur. Secundò, conſequenter docent fidei & ſpei habitus, qui in juſtificatis lapſis remanent, juſtitiæ, & gratiæ ſanctificantis, Deoque nos gratos facientis, rationem omnino amittere: ideoque tum hanc, tum illam *informem* vocant, quia viz. ſeparantur à charitate, quæ eas priùs formabat, vitamque & vires ipſis impertiebat. Tertiò habitus fidei & ſpei, etſi non excutiantur per alia peccata mortalia, excuti tamen per pecca-

ta

ta ipsorum actibus contraria: hoc est, habitum fidei per quemlibet actum hæreseos, & habitum spei per quemlibet desperationis actum totaliter amitti & expelli affirmant.

4. Nostri verò Theologi fatentur quidem habitus fidei, spei & charitatis per peccata mortalia in electis multùm debilitari & diminui posse, idque non tantum extrinsecè, quoad fervorem & facilitatem, seu promptitudinem his habitibus utendi, sed etiam intrinsecè, quoad ipsam eorum entitatem. Habent enim hi habitus sufficientem graduum latitudinem, intra quam, sicut de facto augentur, ita etiam remitti possunt per actus iis contrarios. Fatentur etiam præcipuos horum habituum actus & operationes, *posse ad tempus intercidere, intercidere etiam non raro, idque non tantum secundum plus & minus, sed & totaliter, non finaliter tamen*, ut patet ex judicio Synodi Geldricæ, de quinto articulo controverso, Synodo Dordrechtanæ exhibito.

5. Et quia fides non justificat, *ut habitus*, sed *ut actus* Christi merita aprehendens, consequenter docent fidem quoad actum illum vivum, quo justificat, in renatis mortaliter peccantibus interrumpi, & deliquium pati, ita ut durante eo statu eos justificare, aut *fides justificans dici non possit*. Unde Paræus, lib. 1. de amissione gratiæ, cap. 7. prope finem, sic scribit. *Fides tunc dicitur justificare, cum actum proprium accipiendi remissionem peccatorum exercere potest, atque exercet. Hunc vero actum non exercet, neque exercere potest fides ægra, saucia, sordibus carnis oppressa, & peccatorum compedibus quasi ligata.* Et infrà, *Justificatis vero lapsis Deus non imputat peccata, nempe recipiscentibus: ante recipiscentiam certè imputat infligendo pœnas temporales, & imputaret etiam infligendo pœnas æternas, nisi resipiscerent.* Tandem sic concludit. *Tunc igitur fides in lapsis habitualiter tantum manens propriè Justificans dici, aut eos justificare non potest.* Vide etiam venerandi Episcopi Sarisburiensis Animadvers. in Thomsoni Diatribam de intercisione justif. c. 9. p. 134.

6. Negant tamen Primo eos habitu charitatis penitus & totaliter privari. Secundò negant fidem & spem habitualiter in electis lapsis manentes esse *informes, mortuas, & justitiæ inhærentis aut gratiæ sanctificantis nomine indignas.* Eas enim neque à charitate sejungi aut separari, neque à conjuncta charitate formari aut actuari credunt. Tertio, negant fidei aut spei habitus uno aut altero actu contrario corrumpi aut totaliter destrui. Contrà verò affirmant spiritualem animæ vitam, cum fundamentalibus illis donis, sine quibus ea consistere nequit, in iis, non obstante eorum demerito conservari. Nam *semen Dei manet in iis*, 1 Joh. 3. 9. *& nunquam exarescit fons ille aquæ salientis in vitam æternam* Joh. 4. 14. nec diffluit, aut deperit, *unctio illa Dei manens*, 1 Joh. 2. 27. Sed è contra Scriptura testatur, *eos virtute Dei custodiri in fide*, 1 Pet. 1. 5. & perpetuâ Christi intercessione fulciri ne fides eorum unquam deficiat. Joh. 17. 20. Rom. 8. 34. in quotidianis denique lapsibus, *Dominum iis supponere manum ne collidantur*, Psal. 37. 24. Testatur etiam fieri non posse, *ut electi seducantur*, Mat. 24. 24. *ut oves Christi rapiantur ex manibus ejus*, Joh. 10. 28. aut *ut fideles separentur à dilectione Dei in Christo*, Rom 8. 35, 38, 39. Nam *vocatio, & dona Dei sunt ἀμεταμέλητα*, Rom. 11. 29. Et *solidum stat Dei fundamentum, habens hoc signaculum: novit Dominus eos qui sunt sui*, 2 Tim. 2. 19.

7. Dissentiunt Pontificii tum à nobis, tum inter se, de modo, quo peccans mortaliter gratiam amittit aut à se expellit: utrum viz. expellat eam *physicè*, hoc est, *per veram & realem efficientiam*, an verò tantum *moraliter* & *demeritoriè*, quia scilicet peccando meretur privationem seu ablatiouem gratiæ à Deo. Valentia tom. 3. disp. 3. quæst. 2. punct. 4. & Vasq: in 1*am* 2*æ* disp. 91. putant per peccata mortalia gratiam *physicè* expelli. Contra vero Suarez. lib. 11. de divina gratia, cap. 4. & Alphonsus Curiel in 2*am* 2*æ* quæst. 113. art. 2. dub. 3. omnesque alii qui inter gratiam & peccatum mortale *repugnantiam physicam*

physicam non agnoscunt, gratiam *demeritorie* tantum à peccato mortali expelli asserunt.

8. Nostri Theologi posteriorem hanc sententiam amplectuntur: priorem verò damnant & rejiciunt. Primò quia habitus est qualitas difficulter mobilis, & proinde non potest ab uno actu contrario per Physicam & realem efficientiam expelli. Secundò contraria, quæ se mutuo ab eodem subjecto physicè & formaliter expellunt, debent esse ejusdem generis, qualia sunt vel habitus inter se, vel actus inter se. Nam actus aliquis alium actum sibi contrarium formaliter expellit: & habitus aliquis alium habitum sibi contrarium ex subjecto in quo est excludit, quia inter eos est *repugnantia physica*, propter quam in eodem subjecto simul esse non possunt. Contrà vero actus & habitus cùm non sint ejusdem generis, atque adeo propriè non sint contraria, se mutuo & formaliter ab eodem subjecto expellere nequeunt. Cùm igitur charitas, seu gratia, sit habitus, peccatum vero mortale fit actus, manifestè sequitur charitatis habitum per peccatum mortale *Physicè* non expelli.

9. Tertium effectum peccati mortalis, quod est quòd homo justificatus, cùm ejus reatum contrahit, præsentem aptitudinem ad ingrediendum regnum cœlorum amittat. Nam *in illud regnum non introibit aliquid coinquinatum aut abominationem faciens*, Apoc. 21. 27. & cœlestis corona non imponitur nisi iis, qui *bonum certamen certarunt, & cursum suum in fide & sanctitate consummarunt*, 2 Tim. 4. 8. Ineptus ergo ad hanc coronam adeundam, & ad hoc regnum possidendum est, quisquis impietatis operibus ahuc adhæresit.

10. Amissâ hac præsenti aptitudine ad ingrediendum regnum cœlorum, necessariò etiam ad tempus amittitur sensus consolationis & gratiæ Dei, & per consequens actus spei, qui est expectatio futuræ beatitudinis, intercidit & interrumpitur. Nam, ut bene observant Theologi magnæ Britanniæ (quibus in hoc argumento plurimum debet Ecclesia Christi) in

suo

suo de sanctorum perseverantia judicio, *Persuasio quam justificari habent de finali suâ perseverantiâ, & consecutione æternæ gloriæ, extra studium sanctitatis, & usum mediorum, in actum exire non potest, idque quia justificationis comes, sanctificatio, non consistit extra obedientiæ propositum. Quod quidem propositum habituale, licet multis interruptum lapsibus sufficit electis ad statum justificationis in se salvum custodiendum; ad præsentaneum autem fiduciæ solatium necessariò requirtur hujusmodi propositum actuale. Nec potest quisquam, ex Spiritus testimonio ad cor suum loquente, dicere, Ego jam firmiter credo me in statu gratiæ indefectibiliter perstiturum: nisi simul ex sinceri cordis studio adjiciat, Ego jam firmiter statuo in Sanctorum Dei mandatorum viis ambulare. Multò minus cogitari potest vivus hujusce fiduciæ actus stare cum actuali & directo peccandi proposito: cum, ut habitus habitui, ita actus actui opponatur. Nec sine insulsâ contradictione quenquam fingemus ita statuentem. Ego vitam æternam mihi cripi non posse planè confido. Simul tamen mihi decretum est, illecebrosis cupiditatibus inservire. Hæc ἀσύμφατα esse ostendit salvator. Nemo potest duobus dominis servire.* Math. 6. 24.

11. Hujus etiam doctrinæ veritatem suis sententiis & judiciis confirmarunt reliqui ferè omnes Theologi ad Synodum Dordrechtanam delegati. Nam Thelogi Palatini, in suo de perseverantiâ Sanctorum judicio, concedunt fideles in graviora peccata prolapsos, *sensum gratiæ Dei ad tempus amittere*, item *peccata atrocia, quæ contra conscientiam à volentibus admittuntur, actum fidei impedire, imò habitum etiam arctare & imminuere.* Bremenses in suo judicio de eodem articulo, renatos, cum hujusmodi peccatis Deum offendunt, *lætitiam Spiritûs & sensum consolationis amittere affirmant.* Embdani in consideratione ejusdem Articuli. *Non diffitemur* (inquiunt) *fidem seu fiduciam actualem ad tempus amitti posse, cùm homo fidelis grave peccatum admittit. Actus enim peccati ex quodam consensu perpetrati,*

petranti cum actuali fiduciade remissione peccatorum con sistere nequit. Et Synodus Geldrica in suo judicio de eodem Articulo. *Negamus* (inquiunt) *habitum, semen, radicem, spiritum fidei posse deperdi, & unctionem quam accepimus, posse non manere in nobis. Concedimus autem, actum, fiduciam, consolationem, posse intercidere, & intercidere etiam non raro, non tantum secundum plus & minus, sed & totaliter, non finaliter tamen.* Sed res ipsa clara est ex innumeris Scripturæ testimoniis. Ea enim testatur, *electionem ac vocationem nostram nobis certam seu firmam reddi per* bona opera 2 Pet. 1. 10. Item, *Omnem qui habet hanc gloriæ spem in Christo, sanctificare aut purificare seipsum, sicut & ille purus est.* 1 Joh. 2. 3. & *nos per hoc scire quod ipsum novimus, si præcepta ipsius observemus,* 1 Joh 2. 3. & eos solos à legis condemnatione liberatos esse, *qui non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulant*, Rom. 8. v. 1. 4.

12. Pontificii longè aliter de actu spei sentiunt. Illi enim neque habitum neque actum spei per peccata mortalia excludi aut expelli concedunt. Unde Suarez, locis supra S. 2. citatis fusè contra nos disputat, & varia argumenta in medium affert, ut probet spem quoad actum, non amitti ab iis qui peccata mortalia committunt. Sed primo non mirandum est, quod Suarez, & reliqui scriptores Pontificii ita de actu spei sentiant. Nam spes de qua illi loquuntur, non est spes Christiana, hoc est, non est certa, firma & solida, sed ex adverso est dubia, infirma, hypothetica & conjecturalis beatitudinis, seu gloriæ cœlestis expectatio, quæ proculdubio in hominibus quantumvis impiis manere potest. Secundo locus ille, quem citavimus ex 1 Joh. 3. 3. manifestè ostendit veram & propriè sic dictam spem in iis solis inveniri, qui *seipsos purificant*, seu (ut interpretatur Beza) *seipsos castos conservant*. Tertio potest hoc confirmari ex Augustino, qui in præfatione in Psal. 31 sic scribit: *Ille enim sperat, qui bonam conscientiam gerit; quem vero pungit mala conscientia, retrahit se à*

spe

ne, & non sibi sperat, nisi damnationem. Ut ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam, & ut habeat bonam conscientiam, credat & operetur. Item, quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe. Hic locus tam manifestè pro nobis facit, ut Suarezius, lib. 11. de divina gratia, cap. 5. §. 19. dum ad eum respondere conatur, ingenuè fateatur hominem in gravia scelera prolapsum non posse pro eo tempore, & durante eo statu, æternam gloriam expectare: *Dici* (inquit) *potest mala conscientia inducere desperationem non absolutè, & pro tempore futuro, sed secundum præsentem justitiam. Nam qui habet malam conscientiam, consequenter credit, quod secundum præsentem statum, si in illo moriatur, non salvabitur, & sic desperat de salute secundum præsentem justitiam. Sperare autem potest, & debet, se posse cum divina gratia mutare conscientiam, & salvari. Quia vero hæc spes, quæ in meritis futuris seu mutatione vitæ in futurum fundatur, periculosa est, & multo minus certa, ideo dicti Patres dicunt, fidem utique vivam & perfectam, in bona conscientia fundatam esse debere.*

13. Ex iis quæ dicta sunt manifestè patet ingens esse discrimen inter mortalia & venialia renatorum peccata, quoad tria illa effecta, quæ hac sectione, & sect. 5. explicavimus. Primo enim quia renati in atrocia & conscientiam vastantia peccata prolapsi, præstare desinunt eam obedientiam quam fœdus gratiæ à nobis exigit, ut necessariam ad consequenda ulteriora gratiæ dona in hac vita, & ad obtinendam beatificam Dei visionem in vita futura; & quia illi, durante hoc statu, incapaces sunt istorum beneficiorum, non tantum ex demerito suo, sed etiam secundum sententiam fœderis gratiæ, idcirco supra dixi benevolentiam Dei, erga eos ita ligatam & impeditam esse, ut non possit peccata, in quæ lapsi sunt remittere, aut eos participes facere spiritualium beneficiorum, quæ in electos secundum spiritum ambulantes conferre solet, donec per singularem, extraordi-

dinariam, & perfectè practicam pœnitentiam ad Deum redeant, *& omnem hujusmodi malignitatem actionum suarum ex adverso oculorum* Dei *amoveant*, Is. 1. 16. Præterea, durante hoc statu, non solùm Deo displicent peccata ab iis commissa, sed etiam eorum obedientia, orationes, & gratiarum actiones: imo nihil ab iis procedere potest, quod, pro tunc, Deo gratum & acceptum sit, Ps. 50. 16. Is. 1. 14, 15. Jer. 14. 11, 12. At quando electi justificati leviora illa peccata ex inadvertentiâ aut infirmitate committunt, non desinunt præstare obedientiam illam, quam fœdus gratiæ, ut præcisè necessariam ad salutem exigit: sed iis non obstantibus dicuntur *secundum spiritum ambulare*, Rom. 8. 1. imò & *Deum toto corde sequi*, 1 Reg. 14. 8. & *incedere in omnibus mandatis & constitutionibus domini inculpatè*, Lu. 1. 6. Quamvis igitur leviſſima peccata ex se & suâ naturâ, nos reddunt incapaces & indignos gratiæ divinæ donis; quamvis item ea in se non solùm Deo displiceant, sed etiam merito efficere possint, ut universa nostra obedientia fœda sit in oculis Domini, eiq; penitus displiceat, Deus tamen, qui *non intuetur iniquitatem in Jacobo, nec aspicit perversitatem in Israele*, Num. 23. 21. iis non obstantibus imperfectam nostram obedientiam in Christo acceptat, & oculos suos à nævis ei adhærentibus, quasi averténs, sinceritatem & humilitatem ejusdem gratiosè intuetur, & ex iis complacentiam & oblectationem capit. Secundò quod ad duo reliqua peccati mortalis effecta attinet, quamvis ea ex rigore justitiæ consequantur etiam peccata venialia, tamen juxta providentiæ divinæ administrationem sub fœdere gratiæ, nequaquam ea actu consequuntur: hoc est electi peccata illa leviora committentes, neq; gratiæ inhærentis donis privantur, ut fatentur omnes, neq; præsentem aptitudinem ad cœleste illud regnum ingrediendum amittunt. 1. enim Deus peccata illa filiis suis in Christum credentibus, & secundum Spiritum ambulantibus, ad mortis æternæ reatum non imputat. 2. arcana & efficaci sancti sui spiritus motione subinde eos excitat ad reatum ex iis contractum agnoscendum & deplorandum.

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

Vero discrimine peccati mortalis & venialis, déque impossibilitate implendi legem Dei ob quotidianam peccatorum venialium incursionem.

PARS SECUNDA.

In qua duæ principales differentiæ quas Pontificii inter peccatum mortale & veniale assignant considerantur & confutantur.

SECTIO I.

Pontificiorum sententiam de peccatis venialibus nullo solido fundamento niti.

PONTIFICII duas generales & principales differentias inter peccatum mortale & veniale assignant: quarum prior ab horum peccatorum *punitione*; posterior ab eorundem *remissione* petita est. Cùm enim de pœnâ his peccatis secundum rigorem justitiæ debitâ disserunt, peccatum mortale pœnam æternam, peccatum verò veniale solam temporalem pœnam, *ex se, & suâ naturâ*, mereri affirmant. Cùm item verba faciunt de eorundem remissione, docent peccatum mortale esse *ex se, & suâ naturâ irremissibile, quia tollit principium pœnitentiæ & remissionis*, hoc est, gratiam inhærentem, seu habitualem: peccatum verò veniale *esse ex se, & suâ naturâ remissibile*, quia peccantem non privat illâ gratiâ

tia inhærente, quæ ad pœnitentiam agendam & r
missionem consequendam necessaria est. Utramq
hanc differentiam nos rejicimus, & damnamus : id
oque priorem hac sectione, & sequentibus aliquo
posteriorem verò sectione ultima hujus partis ex
minabimus & confutabimus.

2. Priorem illam differentiam, quam adversa
inter peccatum mortale & veniale assignant, rejic
mus, Primo, quia ea nullo solido fundamento nititu
Nam argumenta, quæ Adversarii ex Scriptura, P
tribus & ratione naturali ad eam stabiliendam con
gerunt, prorsus inepta & infirma sunt.

3. Ex Scriptura Bellarminus lib. 1. de amis
gratiæ cap. 9. & Becanus part. 2. Summæ tract.
cap. 2. quæst. 1. S. 4. proferunt primò dictum illu
Christi, Math. 5. 22. in quo tres vitiosæ iracundi
gradus enumerantur & soli ultimo hoc attribuitur
quod peccantem *Gehennæ*, seu mortis æternæ reu
faciat. Nam duobus prioribus assignantur pœnæ tem
porales quæ vocabulis, *Judicii* & *Concilii* significan
tur. Sed operam ludunt. Nam primo, eos hallucina
in hujus loci sensu explicando, docent ipsorum so
dales Maldonatus & Barradius in suis commentarii
Euangelicis, & Estius in annotationibus in Mat. 5
22. Asserunt enim vocabulis *Judicii*, *Concilii*, & *Ge*
hennæ ignis, tres gradus unius specie pœnæ, id est
mortis æternæ significari. In eadem etiam sententi
fuerunt Strabus Fuldensis glossæ ordinariæ autho
& Hugo Cardinalis in hunc ipsum locum scribentes
Secundo quamvis hic locus explicandus esset, sicu
Bellarminus dicit, non tamen ad probandam eorum
thesin sufficeret. Aliud enim est *peccatum solum pœn*
temporali puniri, aliud vero *illud ex se & sua natura*
& non ex Dei misericordia, hoc habere, quod sola pœn
temporali puniatur. Locus hic, admissa Bellarmini
glossa probat illud prius ; at nullo modo probat po
sterius : & proinde non valet ad infirmandam eam
sententiam, contra quam adfertur, hoc est, ad con
futandam Gersonis, Almayni, & Roffensis sententi
am

m, qui nobiscum dicebant *omne peccatum ex se æternam mortem mereri, & ex Dei misericordia esse, quod peccata leviora ad solam pœnam temporalem imputentur.* At (inquit Bellarminus) Christus hîc non distutit, quid possintaut velit divina misericordia in puiendis peccatis levioribus. Respondeo, nec etiam liscutit quæ nam ex his peccatis sint venialia, ex se, secluſa Dei misericordia. Et proinde ex hoc textu colligi nequit infallibilliter id, quod adversarii asserunt, viz. *peccata venialia ex se & secluſa Dei misericordia, talia esse, ut æterna pœna juſtè puniri non possint.*

4. Secundò proferunt testimonium Jacobi Apoſtoli qui cap. 1. suæ Epist. v. 14, 15. tres motus concupiscentiæ distinguit, & solum ultimum dicit *generare mortem*: i. e. mortem mereri. Sed Estius in commentariis suis in Epistolas, hunc ipsum locum Jacobi explicans longè aliter eum interpretatur, ut Bellarmino aliisque Scriptoribus Pontificiis, argumentum in eo fundatum eripiat. Primo enim non constituit cum Bellarmino *peccati partum* in consensu voluntatis impefecto, & *consummationem* peccati in consensu ejudem perfecto, sed contra, partum pec[illegible] in consensu voluntatis perfecto, & ejusdem con[illegible]matione[illegible] in externo opere, seu actu peccati externo, & in consuetudine peccandi, quam actus peccati externus solet secum afferre, constituit; dicitque vetustiores Interpretes, hoc est, sanctos Patres in hac sententia esse. Secundo in gradatione Apostoli, non tres sed quinque gradus, longè probabiliùs, constituit. Primus gradus ex ejus sententia est in *tentatione concupiscentiæ*, seu in primo ejus motu & proponitur versu 14. Secundus est in *conceptu peccati per consensum imperfectum.* Tertius in *partu peccati per consensum plenum & perfectum.* Quartus in *consummatione peccati per opus externum*, vel, quod probabilius est, *per habitum & consuetudinem peccandi.* Et quintus ac postremus est in *generatione mortis* ex eo ipso peccato. Tertio, adversus hujus loci interpretatio-

nem

nem à se allatam hanc objectionem proponit: *Si peccatum tunc demum generat mortem, postquam consummatum fuerit per externum opus, aut per consuetudinem peccandi, sequetur hoc absurdum, solo interno voluntatis consensu nullum committi peccatum mortale seu æternâ morte dignum.* Hæc objectio ferè coincidit cum argumento Bellarmini, quo contra nos utitur: quia enim generatio mortis hic attribuitur soli consummationi peccati, ille inde concludit peccati conceptionem & partum non generare mortem. Videamus igitur quomodo huic argumento occurrat Estius. *Non* (inquit) *dicitur peccati consummatio generare mortem, quia facit hominem dignum morte æterna; nam etiam peccati partus hominem æternâ morte dignum facit: sed quia hominem reipsa ducit ad mortem, quod de peccato nondum consummato non perinde verum est. Nam posteaquam semel quis abjecto Dei timore, quo deterrebatur, in opus externum peccati proruperit, non contentus est illud semel fecisse, sed audacior factus subinde id repetit: unde in frequentationem, & consuetudinem peccandi venit, quo fit ut tandem perducatur ad mortem, nisi Deus extraordinariâ quadam [illegible] eum per pœnitentiam revocet: quod non ita contingit, si peccatum animo conceptum prematur, & non exeat in opus.* Hæc Estius. Ex cujus sententiâ hîc dicitur peccatum consummatum generare mortem, non quòd illud solum mereatur æternam mortem, sed quòd peccantem magis exponat periculo mortis, & in viâ damnationis eum longiùs provehat, quàm peccatum non consummatum. Quâ interpretatione admissâ, planè corruit argumentum Bellarmini in hoc loco fundatum.

5. Nec solus Estius hunc locum ita interpretatur. Nam Dionysius Carthusianus in suis commentariis in Epistolas ei viam prævit, *Tentatur* (inquit) *unusquisque à concupiscentiâ Abstractus, id est, à recto salutis itinere, & vero rationis judicio, & Illectus, id est, ad culpam attractus, deinde Concupiscentia cùm Conceperit, id est, ad consensum perduxerit, Parit Peccatum*

tum, id est, reum facit. Tunc enim est mortale peccatum interius, cum plenus adest consensus de aliquo concupito contra præceptum. Peccatum vero cum consummatum fuerit, id est, foris ad effectum perductum, ita quod ex consensu itur in opus, generat mortem quia inducit ad consuetudinem vitiosam & obstinationem; deinde ad damnationem æternam, quæ est mors secunda gravissima. Eodem etiam modo verba hæc Apostoli Jacobi interpretatur Nicolaus Lyranus, in notis suis in hunc locum.

6. Interim non diffitemur hos tres authores docere duos primos concupiscentiæ motus, qui perfectè voluntarii non sunt, esse peccata venialia; sed id non moramur: neque enim eo fine citamus eorum testimonia, ut probamus Apostolum v. 14. & initio v. 15. non loqui de peccatis levioribus quæ venialia in electis sunt, sed ut ostendamus *generare mortem*, hic non esse *mereri mortem*: & per consequens, Bellarminum malè colligere solam consummationem peccati mereri mortem, quia ei soli expresse attribuitur generatio mortis. Nam ex sententia Estii, Carthusiani, & Lyrani, potest peccatum aliquod mereri mortem, quamvis non generet mortem, eo sensu quo Apostolus hîc generationem mortis accipit. Dicunt enim peccati partum mereri mortem, & esse peccatum mortale, quamvis Apostolus hic non dicat eum generare mortem.

7. Tertiò objiciunt illa Scripturæ testimonia, in quibus quædam peccata *culicibus*, quædam *camelis*, Matth. 23. v. 24. quædam *festucæ*, quædam *trabi*, Luc. 6. v. 14. quædam *novissimo quadranti*, sive *minuto*, Luc. 12. v. 59. & quædam *ligno, fœno*, & *stipulis*, quæ res natura sua levissimæ sunt, comparantur, 1 Cor. 3. v. 12. Sed primo hæc testimonia nihil aliud probant, quam quod nos libenter concedimus, viz. alia peccata esse aliis multò leviora. Secundo quamvis probarent quædam peccata non æterna, sed temporali pœna duntaxat à Deo puniri, non tamen sufficerent, ad

præsentem controversiam determinandam. Quæritur enim utrum quædam peccata ex se, & secluſa Dei misericordia, tam levia ſint, ut pœna æterna juſtè puniri non poſſint? At locis citatis nihil de hac quæſtione determinatur. Fieri enim poteſt, ut quædam peccata ſint venialia, atque adeo rebus leviſſimis ſimilia, non quod ex ſe & ſua natura talia ſint, ſed quod Deus in ipſa pœna ſtatuenda miſericordiæ ſuæ memor, decreverit ea ad æternam mortem non imputare atque adeo infrà eorum demeritum punire quemadmodum docuerunt quidam Theologi Pontificii ſupra citati.

8. Ex iis quæ dicta ſunt luculentè patet adverſarios fruſtra ſibi, ſuæque in hac controverſia cauſæ ex ſacris literis præſidium quærere. Et multo magis id patet ex manifeſtiſſimis Scripturæ teſtimoniis quibus noſtri Theologi omnia peccata, etiam levißima peccantes æternæ mortis reatu involvere demonſtrant. Ea enim generatim de omni peccato ita pronunciant: *Maledictus omnis qui non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis*, Gal. 3. 10. *Anima quæ peccaverit ipſa morietur*, Ezech. 18. 20. *Stipendium peccati mors*, Rom. 6. 23. *Qui offenderit in uno eſt omnium reus*, Jacob. 2. 10. *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis minimus, vocabitur in regno cœlorum*, Math. 5. 19.

9. Nec majoris momenti ſunt argumenta, quæ ex Patrum Scriptis hic afferunt Pontificii. Nam (ut bene obſervat Gerardus locorum Theologicorum tom. 2. tract. de pecc. actual. c. 19. § 10.) quæ ex Concilio Milevitano, Origine, Chryſoſtomo & Auguſtino, Bellarminus producit, ea noſtræ non adverſantur ſententiæ. Probant enim hoc tantum, quod ſint peccatorum gradus, quod ſint quædam venialia peccata, quod renatis ſæpe in leviſſimis & aliquando incautis, obrepat peccatum, per quod non deſinunt eſſe juſti: quod ſine levibus ac brevibus quotidianis peccatis hæc vita noſtra traducatur; &c. quorum nihil

nobis

nobis negatur: probandum verò erat quædam peccata esse naturâ suâ venialia & venia digna, quod diserte in dictis ipsorum non occurrit.

10. Denique quod attinet ad rationes à natura rei petitas, quas afferunt, ut explicent & confirment priorem illam differentiam generalem inter peccatum mortale & veniale, quam initio hujus Sectionis proposuimus, hoc est, ut ostendant, cur tanta discrepantia sit inter peccata mortalia & venialia quoad reatum pœnæ, quem secum afferunt, utque ostendant hanc discrepantiam non in voluntate Dei, sed in ipsorum natura fundatam esse, rationes, inquam, quas ad hanc doctrinam stabiliendam artificiosè & subtiliter fabricant, omnino dubiæ & incertæ sunt. Quod Primò ex variis hac de re scholasticorum sententiis abundè patet. Quidam enim cum Thoma 1a 2æ quæst. 88. art 1. ad 1um dicunt hoc discrimen inter peccata quoad pœnæ reatum, quem in peccante efficiunt, ex eo provenire, quod quædam peccata sint *contra legem*, & quædam solummodo *præter legem*. Alii cum Scoto, Gabriele, & Bassolio, hujus rei rationem esse dicunt, quod quædam peccata sint contra *precepta* & quædam contra *consilia*. Alii hanc differentiam inter peccata quoad gravitatem pœnæ quam merentur, ex eo provenire dicunt, quod peccata illa quæ mortalia dicuntur, *circa ipsum finem ultimum* versentur: illa verò, quæ venialia appellantur *circa media tantum*. Alii denique, quorum sententia hodie maximè recepta & probata est, docent hujus differentiæ rationem esse, *quod peccatum mortale habeat, tam ex parte objecti, quam ex parte modi quo committitur, id totum, quod requiritur ut sit gravis offensa Dei, utque repugnet amicitiæ & charitati erga Deum: veniale vero propter defectum in aliquo istorum sit offensa levis, & non dissolvat amicitiam cum Deo.* Ita loquitur Alphonsus Curiel. 1a 2æ quæst. 88. art. 1. dub. 3. S. 3. qui inter omnes Pontificios hanc quæstionem acuratissimè tractasse videtur. Verba ejus sunt paulò obscuriora:

sed ipse postea se explicans, dicit peccata mortali pœnam æternam mereri, quia repugnant charitati ponuntque in peccante aversionem à Deo. Hoc autem esse verum ex eo ostendit, quod hujus generis peccata sint graves offensæ contra Deum commissæ, tam ex parte objecti, quam ex parte modi quo committuntur. Contra vero dicit peccata venialia non mereri, quia non sunt charitati contraria, nec peccantem à Deo avertunt: & hoc probat, quia hujusmodi peccata sunt offensæ leves, vel propter parvitatem materiæ seu objecti, vel quia non ex plena deliberatione committuntur: sive ut ipse loquitur, *ob defectum in aliquibus istorum*, hoc est quia deest iis aliquid ex illis duobus quæ in peccatis mortalibus deformitatem & reatum augent. De his dissentionibus Pontificiorum vide Curiel loco citato: item Vasquezium in 1*am* 2*æ*, tom. 1. disput. 143. cap. 1. & sequentibus.

11. Secundò id etiam ex eo patet, quod ratio illa seu fundamentum prædictæ differentiæ inter peccatum mortale & veniale, quam illi maxime probant, omnino inefficax & invalida sit. Nam ex eo quod in peccato mortali sit aliquid tum ex parte objecti, tum ex parte modi quo committitur, ejus deformitatem & reatum augens quod in peccato veniali non invenitur; sequitur quidem peccatum veniale esse comparative leve, hoc est, esse levius mortali: at non sequitur id simpliciter, & absolute loquendo, esse levem offensam. Adversariis igitur probandum incumbit peccata venialia esse absolute loquendo leves offensas, & ita leves, ut æternam pœnam non mereantur: quod nondum probarunt, imo nec probare possunt. Nos enim contrarium esse verum infra, Deo adjuvante, probabimus.

12. Tertiò, ridiculus & ineptus est modus quo adversarii procedunt in explicanda & confirmanda illa differentia inter reatum peccati mortali

talis & venialis. Dicunt enim peccatum mortale pœnam æternam, & peccatum veniale pœnam temporalem mereri, quia illud repugnat charitati, peccantem à Deo ad creaturam avertit: hoc vero nec charitati repugnat, nec peccantem à Deo avertit. Et hoc deinde probant, quia illud est offensa gravis: hoc vero offensa levis.

13. Sed hoc est obscurum per id quod æquè est obscurum probare. Cum enim hoc dicunt, vel intelligunt peccatum veniale esse offensam leviorem peccato mortali; vel intelligunt peccatum veniale esse offensam absolute & simpliciter levem. Si illud intelligant, inanis & ridicula est hæc ratio, idque quia offensa una potest esse levior alera quamvis in se gravis sit, & charitate manifeste repugnet. Si vero hoc intelligant, Primo gratis asserunt peccatum veniale esse absolutè levem offensam. Id enim nondum probarunt, ut nuper monui. Secundò probant obscurum per id quod non minus obscurum est. Id enim vel maxime hic in controversiam vocatur, utrum peccatum veniale simplicitur & absolutè levis offensa sit. Sensus enim principalis quæstionis, quam hic tractamus, est, *utrum peccatum veniale sit ex se offensa adeo levis, sive ob parvitatem materiæ, sive ratione modi quo committitur, ut pœna æterna juste puniri non possit.* Tertiò, hic manifestè circulum committunt. Probant enim peccatum veniale offensam adeo levem, ut pœnam æternam non mereatur, quia non repugnat charitati, nec avertit peccantem à Deo. Et rursus hoc probant quia peccatum veniale est offensa levis & proinde nec charitati repugnat, nec à Deo avertit. Quid est nugari aut in circulum redere, si hoc non est.

14. Aliam etiam rationem non minus ridiculam & ineptam, ad stabiliendam illam differentiam inter reatum peccati mortalis, & venialis, afferre solent. Probant enim peccata venialia pœnam æternam non mereri, quia non important aversionem

nem à Deo, & conversionem ad creaturam: & hoc probant, *quia non opponuntur iis legis divinæ præceptis, quorum observatio est necessaria ad consecutionem beatitudinis, quia non repugnant divinæ voluntati manifestatæ per præceptum grave.* Ita ratiocinatur Curiel, scribens in illam quæstionem Thomæ supra sæpius citatam, art. 1. dub. 3. S. 3. eandemque doctrinam tradit Vasquez. in 1*am* 2æ disp. 143. cap. 4. num. 8, & 9. dicit enim peccatum veniale pœnam æternam non mereri, quia *non est contra præceptum, hoc est necessarium ad salutem.*

15. Sed primo intollerabilis est illa distinctio præceptorum divinorum in *gravia* & *levia*. Deus illos *instatera* judicii sui *appendet*, *& minus habentes inveniet*, apud quos præcepta legis tam exigui ponderis sunt. Secundò cum dicunt quædam esse præcepta de peccatis fugiendis, quorum observatio non est necessaria ad salutem, intelligunt Deum justè non posse prohibere illa peccata sub periculo amittendæ beatitudinis, seu sub pœna æternæ mortis, ut infra patebit: & per consequens manifestè rursus principium petunt, & circulum committunt. Probant enim peccata leviora æternam mortem non mereri, & quod eodem redit, sub pœna æternæ mortis prohiberi non posse, quia non avertunt à Deo, & hoc rursus probant, quia præceptorum, quibus prohibentur, observatio non est, nec esse debet ad salutem necessaria, hoc est, quia nec prohibentur, nec justè prohiberi possint sub pœna æternæ mortis. Sed de his omnibus infrà susius, favente Numine, disseremus. Ostendemus enim levissima peccata sub pœna æternæ mortis justè prohiberi posse, item levissima peccata contrariari charitati, & à Deo avertere.

SECTIO

SECTIO II.

De macula peccati: & an macula, quam veniale peccatum post se relinquit, peccantem à regno cœlesti excludere possit.

SUperiori Sectione Pontificiorum sententiam de discrimine peccati mortalis & venialis damnandam esse probavimus argumento petito ab infirmitate fundamentorum & rationum, quibus ea nititur. Nunc alia argumenta contra absurdissimum hunc errorem, eaque ab ipsa rei, de qua agimus, natura petita in medium afferemus, & ab adversariorum effugiis, ac cavillis vindicabimus.

2. Cæterùm quia prima nostra ratio petita est à macula, quam peccata etiam levissima post se relinquunt, idcirco, notandum est, Primò mortale peccatum relinquere post se maculam in peccante, à qua ille *maculatus*, *immundus*, *sordidus*, & *coinquinatus* denominari solet. Patet hoc primò, quia Scriptura dicit peccatum *polluere*, seu *coinquinare* hominem, Math. 15. 11, & 18. Secundò Scriptura dicit peccatores esse *sordidos*. Apoc. 22. 11. Tertiò, remissio peccati dicitur *ablutio* & *purificatio*: unde Scriptura eos quibus peccata remissa sunt, vocat *ablutos* & *mundatos* ut 1 Cor. 6. 11. & 2 Cor. 7. 1. Quartò, ipsa turpitudo aut deformitas, quam peccatum post se relinquit, expresse appellatur σπίλος *macula*, Ephes. 5. 27. Quintò, Christus, quod ab omni peccati labe, etiam in diebus carnis suæ immunis fuerit, dicitur ἄσπιλος immaculatus. 1 Pet. 1. 19. Denique hoc egregia comparatione illustrat Thomas 1 a 2æ quæst. 86. art. 1. cujus hic est sensus: sicut corpus aliquod nitidum dicitur maculari, suumque nitorem perdere, ex contactu alterius corporis, quod vilius & fœdius est; ita anima hominis justi, quæ pura & nitida est, peccando maculatur, ex contactu rerum corporalium, &

mundanarum, quæ viles & quasi fœdæ sunt. Nam peccatum est quasi quidam animæ tactus, quo res mundanas tangit, iisque *per amorem inhæret.* Alia etiam similitudine hoc declarat Beecanus parte 2. Summæ Tract. 2. cap. 7. qu. 2. S. 1. *Nam* (inquit) *sicut membrum censetur turpe ac fœdum quod ita distortum est, ut non retineat naturalem situm ac ordinem cum reliquis membris, ita anima rationalis est fœda, quæ non retinet debitum ordinem ad Deum, ad quem tanquam ad finem ultimum creata est.*

3. Secundo notandum est varias esse Scholasticorum sententias de re in qua *peccati macula* consistit. Ego omissis sententiis Scheti & Durandi quia minus probabiles sunt, tres probabiliores & magis receptas sententias in medium afferam. Prima est Joannis Bassolii, quem sequitur Vasquez in 1am 2æ disput. 139. cap. 5. Dicunt enim maculam esse ipsum actum peccati præteritum, quatenus nondum est per pœnitentiam retractatus, & à Deo condonatus. Nam ipsum τὸ peccasse & nondum resipuisse est insignis labes seu macula.

Ad hanc sententiam reducitur alia, quæ asserit maculam peccati esse *habitualem, seu permanentem aversionem à Deo.* Nam peccator à Deo avertitur, & aversus manet, non tantum cum actu peccat; sed etiam postquam peccavit, imò semper donec ad Deum per pœnitentiam redeat. Cum enim peccator actu voluntatis suæ voluerit peccare, & peccando se à Deo avertere, ac ad creaturam convertere, quamdiu hanc voluntatem non retractaverit & ad Deum per pœnitentiam redierit, item quamdiu Deus eum in gratiam non receperit, tamdiu habitualiter, & permanenter à Deo aversus censetur.

Hoc satis apta similitudine illustrat Bellarminus lib. 5. de amiss. gratiæ, cap. 17. *Nam* (inquit) *sicut qui à sole se avertit, manet aversus in tenebris, donec ad solem iterum se convertat: & qui ab aliquo recedit, manet in ea distantia donec iterum accedat:*

etiam

sic etiam qui per peccatum à Deo avertitur & recedit non solum dum peccat, sed etiam postquam peccavit manet à Deo aversus, & longe dissitus, donec per pœnitentiam convertatur, & ad Deum revertatur.

4. Secunda sententia est peccati maculam esse privationem gratiæ aut sanctitatis inhærentis, quæ est quasi nitor, splendor aut ornamentum animæ. Sicut enim macula corporis proprie est privatio illius nitoris qui prius erat in corpore, ita macula spiritualis seu macula animæ, est privatio inhærentis gratiæ aut sanctitatis, quæ ut jam monui, est nitor animæ. Nam reddit animam gratam & acceptam Deo ac Angelis, sicut nitor corporis reddit corpus jucundum & gratum oculis hominum. Hæc sententia à multis Thomæ tribuitur, eamque sequitur Scotus in 4. Sentent. distinct. 15. qu. 1. art. 2. Aliqua etiam ex parte eum sequitur Suarez. lib. 7. de divina gratia, cap. 20. S. 8. sed propter varias difficultates quibus est exposita eam restringit & limitat. Dicit enim maculam peccati mortalis in homine ordinato ad finem supernaturalem, per se ac necessario includere privationem gratiæ *cum morali habitudine ad peccatum commissum, nondumquè retractatur, aut remissum.*

5. Tertia sententia est Alphonsi Curiclis in 1am 2æ qu. 86. art. 1, & 2. dub. 2. S. 4. ubi dicit, maculam, quæ post actum peccati manet, includere duplicem privationem, viz. *privationem conformitatis cum lege, & privationem gratiæ.* Nam (ut ipse alibi se explicat) peccator transacto peccati actu, non solum destituitur, & privatur gratiæ donis, quibus prius ornatus fuit, sed etiam manet legi divini conformis, & aversus ab ea. Hanc autem disconformitatem, seu habitualem discrepantiam à lege vere esse maculam probat, *quia maculat & deturpat hominem coram oculis Dei & eorum quibus Deus vult ejus reatum manifestare.*

6. Harum sententiarum nulla est simplici-

rejicienda: nulla etiam est per se, & seclusis reliquis duabus tenenda. Sed potius dicendum est, maculam quam peccatum mortale post se relinquit esse quid aggregatum ex multis, vel ut aliter dicam peccatum mortale multiplicem maculam seu labem secum adferre. Relinquit enim in peccante primò mortalem respectum ad actum præteritum nondum retractatum & remissum. Secundò privationem gratiæ. & Tertiò privationem habitualem conformitatis cum lege Dei; Nulla enim harum trium falsò aut ineptè dicitur macula, ut ex supra dictis patet.

7. Tertiò denique tenendum est peccata etiam venialia triplicem maculam post se relinquere. Nam primò ipse præteritus actus peccati venialis quatenus nondum retractatus & remissus est, reddit, hominem sordidum & coinquinatum. Secundo habitualis privatio conformitatis cum lege Dei, quæ verè & pròprie est macula, comitatur etiam actum peccati venialis. Nam peccatum veniale lege divina prohibetur: & per consequens, is qui peccatum veniale commisit, nondumque retractavit, verè & & propriè legi disconformis manet. Tertiò, quamvis peccatum veniale non tollat aut minuat gratiam inhærentem, seu habitualem, aliquo tamen modo impedit ejus actus, minuitque fervorem ac promptitudinem eos eliciendi. Hoc sic explicat Curiel in 1am 2æ qu. 89. art. 1. *Cum* (inquit) *ex actibus charitatis resultet in anima quadam pulchritudo, & decentia, quam D. Thomas appellat nitorem, & fulgorem actualem: necesse est quod ablatio istorum actuum sit quadam macula: quod vero peccatum veniale sit causa ablationis istorum actuum probatur, quia licet non auferat eos omnino, tamen impedit ne eliciantur non solum opponendo, quantum est de se, impedimenta pravorum habituum & passionum insurgentium: sed etiam reddendo hominem indignum, non quidem gratia & charitate, sed quadam familiaritate, & specialissimis auxiliis, quibus fervor charitatis excitatur, & potentiæ redduntur Habiles, & prompta ad ejus actus.*

8. Non deerunt fortassis, qui negabunt peccatum veniale verè & propriè relinquere post se maculam in peccante. Nam ipse Thomas 1a 2æ qu. 89. art. 1. in ea esse sententia videtur; *Propriè* (inquit) *loquendo peccatum veniale non causat maculam in anima.* Sed Thomæ sententiam perstringit, & egregiè confutat, Vasquez. in 1am 2æ disp. 139. cap. 4. num. 17, *Quamvis* (inquit) *Thomas dicat ex veniali peccato maculam in animam propriè non derivari, & quamvis revera hoc peccatum non privet nos gratia, nec aliquo habitu supernaturali, negari tamen non potest, hominem verè manere aliquo modo pollutum ex peccato veniali, quod semel commisit, donec ab eo justificetur. Nam qui à peccato veniali justificatur, verè dicitur ab eo emundari, & justificari. Eo igitur manssit aliquo modo pollutus.* Hæc ratio Vasquezii efficacissima est. Nam verè & propriè dicta emundatio præsuppoonit maculam, seu labem, verè & propriè dictam.

9. His positis, Prima nostra ratio contra Adversariorum sententiam sit hæc: Ea peccata quæ ex se, & sua natura hominem excludant à regno cœlesti, sunt ex se, & sua natura, mortalia, hoc est, digna æterna morte. At peccata levissima, ex se, & sua natura, excludunt hominem à regno cœlesti. Ergo peccata levissima ex se, & sua natura, sunt mortalia seu æterna morte digna. Probatur major: quia Scriptura loquens de peccatis gravissimis, quæ omnium confessione sunt mortalia, hoc iis attribuit quod hominem excludant à regno cœlesti, 1 Cor. 6. 9, 10. Item Gal. 5. 21. Deinde ipsi Adversarii hoc tanquam proprium & peculiare peccatis mortalibus attribuunt, quod homines excludant, ac privent possessione regni cœlestis. Vide Bellarminum lib. 1. de amiss. gratiæ cap. 5, S. *Ubi Apostolus*, & cap. 9. sub finem. Probatur etiam minor: quia peccata levissima, ex se, & sua natura, relinquunt post se maculam in peccante, atque adeo eum commaculatum & coinquinatum efficiunt, ut ex supradicti

patet

patet. At nihil coinquinatum ingreditur in regnum cœlorum. Apoc. 21. 27. Unde Bellarm. libro jam citato c. 12. resp. ad object. 3. dicit *fieri non posse, ut quis cum sordibus venialium peccatorum in regnum cœlorum ingrediatur*, & lib. 4. de justif. cap. 21. dicit. *peccata venialia, si non misericorditer remittantur, impedire ab ingressu illius regni, in quod nihil coinquinatum intrare potest*: Estius etiam in 2. Sentent. dist. 42. S. 6. *neminem quantumcunque justum nisi sanguine Christi redemptoris etiam à veniali peccato emundatus fuerit in regnum cœleste admitti posse*. Et Suarez. lib. 2. Adversus Anglicanæ sectæ errores c. 15. S. 11. *si* (inquit) *de amplexu patriæ & visionis beatæ intelligatur omnino haberi non potest talis amplexus, nisi prius deformitas venialium peccatorum auferatur.*

10. Dices responsionem ad hoc argumentum ex ipsis istis authoribus, locis citatis, colligi posse. Docent enim peccata hæc leviora excludere à regno cœlesti, *non simpliciter, & in æternum, sed ad tempus duntaxat, donec viz. purgata & remissa fuerint vel in hac vita, vel in purgatorio.* At certè hæc responsio argumento nostro non obviat, Nam quod venialia peccata non excludant in æternum, sed ad tempus à regno cœlesti, hoc non habent ex se & sua natura, sed a misericordia Dei ea condonantis, & suis electis non imputantis. Patet hoc, quia Deus condonat ea ex gratia & proinde potest ea non condonare, ut ipsi fatentur; quod si faceret, ea hominem in perpetuum à regno cœlesti excluderent. Ut igitur hoc effugium Adversariis præcludamus, argumentum nostrum efficacius sic proponimus. Illud competit peccato ex se, & sua natura, quod ei competit secluſa misericordia Dei, ejusque gratiosa condonatione, ut docet Bellarminus libro citato, initio cap. 9. & ut per se patet. At peccatum veniale, secluſa misericordia & gratia divina, excludunt peccantem à regno Dei in perpetuum. Ergo hoc per se & sua natura, ei competit.

SECTIO.

SECTIO III.

An peccata leviſſima reproborum ſint mortalia, non ſolum ab eventu, ſed etiam ex merito.

SEcundo peccata leviſſima, ex ſe & ſua natura, æternam mortem mereri, hac ratione probamus: Peccata leviſſima punientur æterna pœna in reprobis poſt diem judicii patet ex Math. 12. 36. & 37. & ipſi Adverſarii fatentur, viz. Bellarminus lib. 1. de amiſſ. gratiæ cap. 14. S. *Quod ſi in homine*, Valent. tom. 2. diſp. 6. qu. 17. punct. 4. Vaſquez, in 1*am* 2*æ*, diſputat. 141. cap. 2. Curiel. in 1*am* 2*æ* qu. 87. artic. 5. S. 1 Et ante hos multi Scholaſtici, quos pro hac ſua ſententia citant, viz. Thomas, Richardus de S. Victore, Bonaventura, Richardus de Media villa, Capreolus, Cajetanus, Hadrianus, Soto Major & alii, Ergo, peccata leviſſima merentur pœnam æternam. Nam alioqui pœna hæc quæ ob ea infligitur, non eſſet juſta & ipſorum demerito proportiona. Reſpondent Adverſarii, hoc fieri per accidens, & propter conditionem ſubjecti, cui inſunt hæc levia peccata. Nam quamdiu durat culpa & ejus macula, hoc eſt quamdiu culpa non eſt remiſſa, tamdiu is, qui peccavit dignus eſt ſupplicio, ut docet Vaſquez, loco nuper citato. At (inquiunt) culpa venialis, quamvis ex ſe ſit remiſſibilis, ſeu reparabilis per pœnitentiam (ut ſupra dictum eſt initio ſectionis 1.) tamen in reprobis per accidens eſt irreparabilis per pœnitentiam, quia conjuncta eſt cum mortalibus peccatis quæ excludunt gratiam illam, quæ ad agendam pœnitentiam neceſſaria eſt: & per conſequens hæc culpa per accidens in iis eſt æterna, ſeu durat in æternum, quia ſcilicet illi non poſſunt eam retractare per pœnitentiam. Ergo etiam pœna hujus culpæ, æterna eſt in reprobis, idque per accidens, quia ſcilicet culpa in iis eſt æterna: alioqui

qui enim tantùm temporalis fuisset. Hæc responsio non satisfacit.

2. Primò enim culpa illa quæ per se est causa damnationis ad pœnam æternam, per se punitur pœna æterna. At culpa venialis per se erit causa damnationis ad pœnam æternam in die judicii: nulla enim tunc erit damnatio ad pœnam temporalem. Ergo culpa venialis per se punitur pœna æterna: Probatur assumptio ex Math. 12. 36. ubi Christus dicit, *nos de omni verbo ocioso reddituros rationem in die judicii*, & versu sequente hoc confirmans, dicit, *nos ex sermonibus nostris vel justificandos vel condemnandos esse*: quibus verbis indicat sermones illos de quibus loquebatur versu 36. (hoc est sermones ociosos, qui ex Adversariorum sententia sunt peccata venialia) fore sufficientem causam damnationis ad pœnam æternam.

3. Secundò magis per accidens est quod peccata venialia non puniantur pœna æterna in electis, quam quod puniantur pœna æterna in reprobis: item quod in illis sint reparabilia per pœnitentiam, quam quod in his sint irreparabilia per pœnitentiam. Nam posterius hoc competit peccatis venialibus propter annexa mortalia (ut Adversarii sentiunt) quæ si non specie, saltem genere cum illis conveniunt. At prius istud competit iis beneficio rei toto genere ab iis diversæ, viz. beneficio gratiæ habitualis inhærentis electis. Hæc enim gratia est principium & causa actuum pœnitentiæ, sine quibus electi peccata venialia retractare, eorumque remissionem consequi non possunt.

4. Tertiò Deus neque per se, neque per accidens, potest facere id quod est injustum. Ergo, si injustum est punire peccata venialia pœna æterna, ut blasphemè loquitur Bellarminus, lib. 1. de amiss. gratiæ cap. 14. respons. ad objectionem 1. Deus neque per se, neque per accidens posset illud facere. Et confirmatur quia peccatum veniale, ex eo quod sit in homine reprobo conjunctum cum mortali,

mortali, non fit peccatum gravius aut majori pœna dignum, ſed retinet eandem naturam, quam prius habebat. Ergo, ſi ex ſe, & ſua natura non meretur pœnam æternam, tunc in reprobo non meretur pœnam æternam: & per conſequens in eo non punitur pœna æterna: nam alioqui puniretur ultra condignum. Deus autem ut omnes docent, etſi remuneret bona opera *ultra condignum*, non tamen punit peccata *ultra*, ſed *citra condignum*: quia ſcilicet natura ſua magis propenſus eſt ad liberalitatem & miſericordiam, quam ad vindicativam juſtitiam.

5. Ad tertium hoc argumentum reſpondent Thomas. 1 *a* 2 *æ* qu. 87. art. 5. ad 3*um*. Cajetanus in eum locum, Curiel in eundem locum dub. unico S. 1. & alii peccatum veniale *ex conjunctione cum mortali* non habere *majorem gravitatem* ſeu non fieri gravius habere tamen ex ea conjunctione *irremiſſibilitatem*, & æternam durationem maculæ, quam poſt ſe relinquit: quia ſcilicet ſine pœnitentia, quæ in reprobos non cadit, nulla eſt peccatorum leviſſimorum remiſſio, nulla maculæ ab iis relictæ abſterſio. Peccatum igitur veniale, etſi in reprobis non fit *gravius*, tamen eſt *diuturnius*, ſeu durabilius propter ſuam conjunctionem cum mortalibus, & *ideo* (inquit Curiel) *non reſpondet ei, quatenus eſt in reprobis, pœna intenſior, ſed diuturnior: quia intenſio pœnæ reſpondet gravitati peccati, & æternitas pœnæ ejus irremiſſibilitati.*

6. Sed contra primo Adverſarii docent peccatum mortale *ob ſuam gravitatem* puniri pœna æterna, & peccatum veniale *ob ſuam levitatem* puniri pœna temporali. Ergo ſibi contradicunt, cum aſſerunt æternitatem pœnæ non reſpondere *gravitati peccati*, ſed ejus *irremiſſibilitati*. Secundò omnis pœna, aut gradus pœnæ, reſpicit gravitatem culpæ, hoc eſt, propter ipſam culpam, ejuſque *demeritum* infligitur. At æternitas pœnæ eſt gradus, & inſigne augmentum pœnæ, ut patet ex Iſai. 66. 24. Mat. 9. 44, 46, 48. & Mat. 25. 41: Ergo reſpicit gravitatem culpæ, eique reſpondet. Tertiò peccata

venialia

venialia in reprobis, vel sunt digna pœna æterna, vel non sunt digna: si non sunt digna, tunc puniuntur *utra condignum*, quod absurdum est, ut ipsi Adversarii fatentur, si sunt digna & æternam pœnam merentur, tunc hoc *meritum*, aut potius *demeritum* fundatur vel in *gravitate offensæ*, vel *in duratione reatus & maculæ*, quam hæc peccata venialia post se relinquunt. Illi proculdubio dicent hoc demeritum fundari non in gravitate ipsorum peccatorum venialium, sed in eorum duratione quoad reatum & maculam. Sed contra Scriptura apertè testatur pœnam æternam in die judicii infligi *propter ea quæ gessimus in corpore* 2 Cor. 5. 10. Ergo tunc non infligitur pœna æterna propter *nudam durationem maculæ post mortem*. Deinde, si ullo modo verum est peccata venialia in reprobis mereri graviorem pœnam, necessario etiam sequitur ea esse graviora in reprobis quam in electis: (quod absurdum est, ut monui S 4.) nam quod meretur graviorem pœnam, id peccatum gravius est. Hæc verissima esse patefecit ex ingenua confessione Alphonsi Curielis, qui quamvis loco citato doctrinam illam Thomæ fusè explicet & urgeat, tamen alibi viz. in explicatione articuli 3. ejusdem quæstionis S. 3. pag. 479. nobiscum asserit æternitatem pœnæ non respondere soli durationi culpæ, sed cadere sub demerito peccati, seu quod eodem redit, respondere gravitati culpæ, *Negari* (inquit) *non potest, quod æternitas pœnæ cadat sub demerito peccati: quia etiam ipsa æternitas pertinet ad pœnam; & ex consequenti respicit demeritum culpæ; & ita concedimus, propter peccatum mortale esse aliquem dignum pœna æterna, & non propter peccatum veniale; & esse dignum pœna est mereri eam: & Math. 25. peccatores propter sua peccata damnantur, non solum ad pœnam absolutè sed etiam ad pœnam æternam, dicitur enim, ite maledicti in ignem æternum, & subjungitur ratio, esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c. quæ ratio non esset sufficiens nisi ejusmodi peccatis deberetur pœna æterna.* Vide etiam Franciscum,

de

de Herrrera in 2. Sent. disp. 42. qu. 2. ubi non solum eandem doctrinam, sed etiam iisdem fere verbis tradit. Nam ex eo hæc verbatim transcripsisse videtur Curiel.

7. Propter has rationes Scotus in 4. Sentent. dist. 21. qu. 1. docuit pœnam, qua damnati inferno punienter propter peccata venialia, non fore æternam, sed temporalem; & proinde eam finem aliquando habituram esse, cum interim in æternam duratura sit pœna, quæ iis infligetur ob peccata mortalia. Ejus sententiam postea amplexi sunt Biel, Vega, Medina, Navarrus & Almaynus quos pro hac opinione citat Curiel in 1am 2æ q. 87. artic. 5. dub. unico S. 1. Non deerunt fortassis qui in hanc sententiam ibunt, ut vim argumenti supra propositi S. 1. repellant: facile enim secundum hanc sententiam, ad nostrum argumentum responderi potest negando reprobos puniri pœna æterna ob peccata venialia. At certe hoc non potest sine magna absurditate negari. Nam primo reprobis in die judicii propter omnia ipsorum peccata, tam mortalia, quam venialia, dicetur *ite maledicti in ignem æternum &c.* Ergo pœna, quæ infligetur ob peccata venialia erit æterna. Secundo sententiam Scoti confutat Vasquez in 1am 2æ disp. 141. cap. 2. hoc argumento: si vera (inquit) sit sententia Scoti, *sequetur posse nos orare pro iis qui sunt in inferno, ut citius solvantur à pœna debita pro his peccatis; siquidem illa tandem, postquam satis passum sit, à Deo dimittenda est.* Tertio recentiores Scotistæ hanc sententiam damnant, dicuntque Scotum non assertivè, sed dubitativè eam proposuisse. Vide Franciscum de Herrera in 2. Sentent. Disput. 42. qu. 4.

SECTIO

SECTIO IV.

An Peccata leviſſima electorum ſint mortalia ex natura ſua?

TErtia noſtra ratio contra Adverſariorum ſententiam, ſit hæc: Quod poteſt nunquam remitti id poteſt in æternum puniri, idque juſtè. At peccatum veniale ab homine juſto commiſſum poteſt nunquam remitti. Ergo poteſt in æternum puniri. Hoc argumentum procedit de peccatis levioribus in homine juſto, ſicut prius procedebat de peccatis levioribus in homine reprobo: & facile confirmatur per partes. Ratio enim propoſitionis majoris eſt, quia quamdiu durat culpa, hoc eſt, quamdiu ea non remittitur, tamdiu durat pœnæ reatus: quamdiu autem durat reatus pœnæ, tamdiu ipſa pœna juſtè durare poteſt, ut Adverſarii docent.

2. Probatur etiam aſſumptio, quia Deus peccata venialia à juſtis, & fidelibus commiſſa remittit ex gratia & miſericordia: hoc enim patet ex ipſo nomine & natura remiſſionis, ut obſervat Eſtius in 2. Sent. diſt. 42. §. 6. Quicquid autem Deus ex gratia & miſericordia facit, id poteſt non facere, & proinde poteſt peccatum veniale nunquam remittere.

3. Reſpondet Eſtius loco jam citato, & Vaſquez in 1am 2æ Diſput. 142. cap. 2. *ſtatum hominis juſti, & bona opera ab eo facta condigne poſtulare*, atque adeo mereri de condigno, *illam gratiam & miſericordiam qua peccata venialia remituntur*; idque quia *injuſtum eſt quenquam* (verba Eſtii ſunt) *excludi in æternum ab eo quod ei jure debetur.* Hominibus autem juſtis jure debetur vita æterna: & proinde tenetur Deus iis aliquando remittere peccata venialia, ne viz. in æternum excludantur à regno cœleſti.

4. Hæc reſponſio & in ſe abſurda eſt, & fœdæ arrogantiæ plena. Primò enim ſi homini juſtificato ob bona ejus opera jure debetur remiſſio peccatorum

ium venialium, ſequetur pios ſeu fideles, cum Deum orant ut peccata quotidianæ infirmitatis, ſeu venialia ipſis remittat, non minus verè poſſe dicere, *perſolve nobis debita tua*, quam *dimitte nobis debita noſtra* Debet enim & ex juſtitia tenetur Deus peccata venialia piis remittere, ex Adverſariorum ſententia, ne alioqui in juſtè eos excludat à regno cœleſti, quod ipſorum meritis debetur. Secundo, omne meritum fundatur in promiſſione Dei gratuita, ut docent Bellarminus lib. 5. de Juſtif. cap. 14. & Suarez. lib. 12. de divina gratia cap. 18. Quicquid autem Deus ex gratia promiſit, potuit id non promittere, ut per ſe patet. Potuit igitur Deus non promittere, atque adeo nunquam conſere piis remiſſionem peccatorum venialium ob bona ipſorum opera: & per conſequens potuit ea in æternum punire. Nam ſi nunquam remitterentur, in æternum punirentur, ut ipſi Adverſarii ſubinde inculcant. Tertiò, hæc reſponſio ruit alio abſurdo & craſſo errore, quod viz. bona opera mereantur de condigno gloriam, & augmentum ac conſervationem gratiæ, de quo ſuo loco, Deo favente, dicemus.

5. Bellarminus lib. 1. de amiſſ. gratiæ c. 14. aliter, ſed longè ineptius, ad hoc argumentum reſpondet. Loquitur enim ſolummodo de *condonatione pœnæ* peccatis venialibus debitæ *non verò de remiſſione ipſius culpæ venialis*, de qua præcipuè procedit argumentum noſtrum. Supponit enim ut patet ex ultimis verbis iſtius capitis, culpam ipſam venialem eſſe homini juſto remiſſam, ejuſque maculam eſſe expurgatam per actum dilectionis, ſeu charitatis, quamvis pœna ei debita non ſit condonata: *Si gratia (inquit) accipiatur pro liberali condonatione pœnæ, fatemur poſſe Deum abſolute non condonare pœnam peccatis venialibus juſtorum debitam. Quod enim ex gratia facit poteſt non facere: ſi autem Deus vellet non condonare, ſed omnino exigere pœnam peccati venialis ab eo qui culpam ipſam venialem per actum dilectionis purgaſſet, temporalem tantum, non autem*

ſempi-

SECTIO V.

An peccata leviora, quæ venialia vocantur, sub pœna æternæ mortis à Deo prohiberi possint? Et an actu sub ea pœna in fœdere operum, seu legali, prohibita sint.

Quarto peccata venialia ex se æternam mortem mereri ex eo patet, quod omnes tam Euangelici quam Pontificii fateantur, Deum potuisse & etiamnum posse peccata omnia, etiam levissima sub pœna æterna prohibere, & consequenter illos qui ea committunt æterna morte punire. At Deus nihil quod iniquum aut injustum est facere potest. Ergo peccata venialia æterna morte justè puniri possunt: & per consequens petulans & audax est Bellarmini assertio, lib. 1. de amiss. gratiæ cap. 14. respons. ad object. 1*am* qua asserit *Deum non posse juste punire peccatum quodlibet, etiam veniale, pœna omnium gravissima, quæ est mors æterna.* Respondet Curiel in 1*am* 2æ qu. 88. artic. 1. dub. 2. S. 2. quod quamvis Deus, ut est *Supremus mundi Dominus*, posset statuere pœnam æternam contra peccata venialia, non tamen posset id facere, ut est *Judex* & *Legislator*, idque quia pœna æterna non est *proportionata demerito culpæ venialis*, sed longè illud excedit. Idem etiam innuere videntur Bellarminus loco citato, & Franciscus de Herrera in 2. sentent. disput, 42. qu. 2. Sed falso & ineptè.

2. Primo enim peccata levissima contra infinitam Dei majestatem commissa, sunt in se gravia & pœna æterna digna, ut infrà patebit. Ergo Deus potest ea prohibere sub pœna æterna.

2. Secundò, ipsa voluntas Dei, lege sua prohibentis peccata sub pœna æterna, est sufficiens ratio æquitatis illius pœnæ, efficitque ut sit *proportionata demerito ipsius culpæ*, ut communiter docent Scho-

ſempiternam pœnam exigere poſſit. Hæc Bellarminus.

6. At quid ſi gratia hîc accipiatur pro condonatione ipſius culpæ venialis & abſtertione maculæ quam poſt ſe relinquit: nonne ſimiliter verum eſt Deum poſſe nunquam remitere ipſam culpam venialem ab homine juſto commiſſam? Nam ex gratia eam remittit: *quod autem ex gratia facit, poteſt id non facere*, fatente ipſo Bellarmino. Suppono igitur Deum nunquam remittere culpam venialem homini pio, qui eam commiſit (nam poſito poſſibili in actu nihil abſurdi ſequetur) & quæro utrum in hoc caſu, pœna, quæ ei infligi debet ob peccatum veniale, æterna futura ſit, an verò non ſit?

7. Bellarminus loco citato dicit pœnam, quæ infligi poteſt pio ob culpam venialem neceſſario eſſe temporalem & non æternam. Sed primo non in hoc caſu, de quo nos loquimur, ſed in alio caſu plane alieno à propoſito, hoc dicit Bellarminus. Supponit enim peccatum veniale eſſe homini pio remiſſum *quoad culpam* non verò *quoad pœnam*, & in eo caſu dicit pœnam æternam ob illud peccatum ei infligi non non poſſe. Nos contra loquimur de homine pio, cui peccatum veniale nondum remiſſum eſt quoad culpam, & ſupponentes Deum illud nunquam remittere quoad culpam, aſſerimus pœnam ejus fore æternam. Secundo non gratis hoc aſſerimus, ſed etiam manifeſte probamus ex Adverſariorum doctrina: Illi enim unanimiter contra Scotum tenent pœnam illius culpæ, quæ nunquam remittitur, nunquam finiri, & proinde æternam eſſe. Imo ipſe Bellarminus loco citato, dicit, *deformitatem peccati non debere ſempiternam manere ſine pœna ſempiterna.* Cum igitur Deus poſſit nunquam remittere peccata venialia piorum (nam ex indebita gratia ea illis remittit. Et quod ex gratia facit, ut ipſi fatentur, poteſt non facere) manifeſtum eſt etiam illum ea poſſe in æternum punire.

SECTIO

Scholastici cum de pœna peccati mortalis differun
Hoc aperte restatur ipse Herrera loco citato
Secundo (inquit) *Scholastici dicunt, satis esse quod lo*
& voluntate Dei sit statuta pœna æterna contra peccatu
mortale, ut hujusmod pœna sit proportionata demeri
ipsius culpæ, & secundum se totam habeat simpliciu
rationem pœnæ. Ratio hujus dicti est, quia satis est ut d
camus hoc de pœna statuta per legem humanam, qu
talis lex lata fuerit à Legislatore prudente & rect
Ergo à fortiori idem dicendum est de pœna statuta
Deo. Probatur sequela, quia lex & voluntas Dei est p
se justa. Confirmatur quia de præmio æterno concedim
esse proportionatum, & secundum se totum habere ra
onem præmii respectu meriti temporalis, quia volunta
& lege Dei est statutum, ut præmium talis meriti. E
go similiter concedendum est, pœnam æternam esse pr
portionatam, & secundum se totam habere rationc
pœnæ respectu peccati temporalis, quia voluntate & le
Dei est statuta in punitionem talis peccati mortali
Idem etiam docet Curiel scribens in 1am 2æ qu. 87
art. 3. S. 3. *Satis* (inquit) *est, quod lege & voluntat*
Dei sit statuta pœna æterna contra culpam mortalem
ut hujusmodi pœna sit proportionata demerito ipsiu
cu pæ, & secundum se totam habeat simpliciter ratio
nem pœnæ. Probatur, quia satis est, ut dicamus hoc
pœna statuta per legem humanam, quod talis lex fue
fuerit à legislatore prudente & recto. Ergo à fortio
idem est dicendum de pœna statuta per legem De
Confirmatur primo, quia lex & voluntas Dei est per
justa. &c. Hæc Curiel verbatim ex libro Francisci d
Herrera transcripsit.

4. Tertiò Deus prohibere potest, imò & act
prohibuit lege positiva sub periculo & pœna æterna
mortis, res in se licitas & indifferentes, qua
viz. si in se considerentur, rectæ rationi non re
pugnant, ut patet ex præceptis Ecclesiæ Judaic
datis *de discretione ciborum mundorum ab immundi*
deque abstinentia à sanguine & adipe. Ergo mult
magis prohibere potest peccata venialia su
pœn

pœna æternæ mortis. Ratio consequentiæ est, quia multa peccata venialia sunt contra legem naturæ, rectæque rationi repugnant; & proinde in se, & secluſa Dei lege, sunt mala, illicita, & detestanda. Si igitur prohibitio Dei efficere potest, ut res in se licita & non detestanda, sit digna æterna pœna; cur non etiam efficere potest, ut res ex se illicita & detestanda sit digna æterna pœna.

54. Quartò denique Deus, ut Judex & Legislator in fœdere operum, quod pepegit cum Adamo & Eva, & in eorum personis cum toto genere humano, actu prohibuit omnia peccata, etiam leviſſima, sub pœna æterna. Ergo juste ea prohibere potest sub hac pœna. Scio Adversarios hujus argumenti antecedens constanter negaturos esse: sed facile convincentur. Nam Deus in fœdere operum promisit hominibus vitam æternam sub conditione plenæ & in omnibus numeris absolutæ obedientiæ: & proinde in illo integritatis statu jus ad vitam æternam habere non poterant, uisi perfectè implendo legem Dei. Hinc manifestè sequitur cujuslibet peccati commissionem potuisse eos redere obnoxios æternæ morti. Nam qui non præstat conditionem in fœdere præscriptam is non potest assequi præmium: sed contra, meretur pœnam à legislatore statutam in fœderis violatores. At si Adamus vel minimum peccatum commisisset contra legem Dei ejus menti inditam seu inscriptam, non præstitisset conditionem fœdere præscriptam; hoc est, non impleviſſet legem perfecte. Ergo non potuisset assequi præmium æternæ gloriæ, sed contra meruisset eo privari in æternum.

4. Dices conditionem, sub qua vita æterna promittebatur in fœdere operum, non fuisse plenam & exactam legis impletionem in omnibus ejus præceptis, sed tantum in gravioribus seu præcipuis, & proinde hominem potuisse in eo statu assequi vitam æternam vitando peccata mortalia, quamvis immunis non esset à reatu peccatorum venialium. Sed

hoc

hoc effugium omni probabilitatis specie care

7. Primo enim certum est Deum ab homine am lapsum exigere potuisse plenam & exactam leg mpletionem, tanquam conditionem absolute neces lam ad consecutionem vitæ æternæ. Ei enim deder sufficientes vires ad implendam totam legem, & vitanda omnia peccata, tum venialia tum mortalia, id que non pro exiguo tempore, sed in perpetuum, docet Valentia, tom. 2, disput. 6. qu. 12. punct. S. 10. col. 659. dub. 2.

8. Secundo hinc quoque patet, Deum ab ho mine iutegro exegisse plenam & perfectam leg impletionem, tanquam conditionem absolute ne cessariam ad assecutionem præmii promissi. Na nunc sub fœdere gratiæ ab homine justificato, sibi reconciliato, exigit ut sibi serviat, legemqu impleat vitando peccata omnia mortalia simplicite & conando vitare etiam peccata venialia, ac de i pœnitentiam ordinariam agendo, quoties se ea com misisse observaverit, (nam hujusmodi peccata sim pliciter & absolute à nobis in hoc infirmitatis stat vit non possunt) hoc inquam ab eo exigit tan quam conditionem absolute necessariam ad consecu tionem æternæ gloriæ. Ergo plus exigit ab homin integro: & proinde ab eo exegit perfectam legi implerionem, seu immunitatem ab omni peccato tam veniali quam mortali, tanquam conditionem absolute necessariam ad consecutionem vitæ æternæ. Ratio consequentiæ est, quia æquum est, ut plu exigatur ab eo, qui plus potest: *Nam cui cunque mul tum datum fuerit, multum repetetur ab eo, & apud quem multa deposuerunt amplius reposcent ab eo* Luc. 12. 48.

9. Tertio si fœdus operum non obligabat stri ctè & precisè (hoc est, sub periculo amittendæ beatitudinis) ad vitanda peccata venialia, tunc strictè & præcisè obligabat saltem (sicut nunc obligat fœdus gratiæ) ad ea revocanda seu retra ctanda per pœnitentiam. Nam nisi hujusmodi peccata retractarentur per pœnitentiam

remit-

emitterentur, ut ipsi Adversarii docent: & per consequens in æternum punirentur. At absurdum est posterius. Ergo & prius. Probatur assumptio, quia ubi est obligatio ad pœnitentiam, ibi est promissio veniæ, sub conditione pœnitentiæ. At in fœdere operum non fuit promissio veniæ. Ergo non fuit obligatio ad pœnitentiam. Major per se patet. Probatur minor, quia promissio veniæ, seu remissionis peccatorum, pertinet ad fœdus gratiæ, & non ad fœdus operum: præsertim cum peccata abluantur, non nisi Christi sanguine, & meritis. Vide Bellarminum lib. 4. de Justif. cap. 2. S. *Quarto probatur*, ubi hoc, tanquam dogma ab omnibus concessum ponit, quod promissio veniæ pertineat ad Euangelium, non vero ad legem, seu fœdus operum.

SECTIO VI.

An & quatenus malitia in omni peccato, etiam veniali sit infinita? & an pœna infinita ei respondeat?

QUinta nostra ratio petita est ab infinita malitia, quæ in peccato veniali, non minus quam in mortali cernitur. Ex ea enim sequitur ei deberi pœnam infinitam. Ut autem hæc ratio melius intelligatur, notandum est primò *infinitatem pœnæ* respondere *infinitati culpæ*. Pœna enim debet esse *proportionata culpæ*, ut monet Thomas 1a 2æ qu. 87. art. 4.

2. Secundo notandum est culpam aliquo modo esse infinitam, & aliquo modo finitam: Primo enim est infinita *objectivè* & *intrinsecè*, quatenus est commissa contra infinitum bonum. Secundo est infinita *intensivè*, & *ratione durationis*, quia viz. ejus labes, seu macula durat in æternum, quantum est ex parte peccantis (nam in per se, seu suis viribus, eam nunquam expurgare potest) & proinde ex se & secluſa Dei condonantis mise-

ricordia peccantem in æternum regno cœlesti excluderet, & pœnis infernalibus subjiceret. Nam nihil coinquinatum in illud regnum admitti potest. Tertio, est finita *intensive*, sive respicias entitatem ipsius actus, nam à finita creatura elici non potest actus infinite intensus, sive privationem entitati annexam. Ea enim est privatio finitæ rectitudinis, seu conformitatis cum lege. Et confirmatur, quia si malitia peccati esset infinita in quantitate, vel intensione, omnia peccata essent paria, nullumque esset alio majus, aut minus. Nam unum infinitum alio majus esse non potest.

3. Tertio notandum est pœnam peccatis debitam, & inferno luendam esse etiam aliquo modo finitam, & aliquo modo infinitam. Primo enim est infinita *objectivè*, quia privat peccantem bono infinito id est, Deo, juxta illud, Math. 25. v. 41. *Discedite à me.* Secundo est infinita *extensive*, *seu ratione durationis*, juxta illud quod sequitur, *in æternum ignem.* Cur autem pœna reproborum æterna esse debeat, variæ rationes afferuntur à Theologis: Ego hic unam tantum afferam, eamque petitam ab æternitate culpæ. Primo enim maculæ ex peccatis in hac vita mortali commissis contractæ in iis durant in æternum: & proinde reprobi sunt in æternum fœdi, & Dei consortio ac amicitia indigni. Secundò habitualis eorum pravitas ac malitia, & speciatim eorum odium erga Deum, durat in æternum. Ergo etiam eorum pœna in æternum durare debet. Æquum enim est, *ut is qui nunquam desinit esse malus nunquam desinat esse miser.* Tertio est finita *intensive*, tum quoad tristitiam qua afficiuntur ob amissionem summi boni, quæ pertinet ad pœnam damni, tum quoad cruciatus, quos patiuntur ab igne infernali, qui pertinent ad *pœnam sensus.* Ratio manifesta est, quia creatura finita infinitorum cruciatuum capax non est.

4. Quæri hic potest an pœna reproborum sit *infinita intensive de jure*? certum enim est eam non esse

esse *infinitam intensive de facto*, ut ex dictis patet) hoc est, an eorum peccata mereantur pœnam intensivè infinitam? Quidam enim recentiores Pontificii, ut testatur Vasquez in 1*am* 2*æ* super qu. 87. art. 4*um*, docuerunt peccato mortali ex se deberi pœnam intensive infinitam si ea posset infligi, hoc est, si peccans illius capax esset. Contrarium tamen tenendum, & ad quæstionem propositam duabus assertionibus respondendum est. Prior est; *reprobis [proculdubio deberi pœnas multo graviores, & acerbiores illis quas actu patiuntur.* Verè enim dicunt Theologi Deum, sicut pios supra condignum remuneratur: ita etiam impios citra, seu infra condignum punire. Posterior est: *non tamen deberi iis pœnas intensivè infinitas ex ordine justitiæ.* Primo enim hæc pœna non est possibilis: nam creatura finita non est capax infinitorum cruciatuum, ut supra monui. Secundo si peccato deberetur pœna intensive infinita, sequeretur Deum non posse justitiæ suæ satisfacere puniendo impios: quia viz. hæc pœna illis infligi non potest, hoc est, illi capaces non sunt talis pœnæ. Absurdum autem est dicere aliquam pœnam peccatis de jure deberi, quam Deus non potest infligere. Tertio hinc sequeretur omnibus peccatis æqualem pœnam de jure deberi seu omnia peccata mereri æqualem pœnam: quod sane absurdum est, & divinæ justitiæ contrarium. Probatur hæc connexio seu illatio: si enim minimo peccato debetur pœna infinita, tum extensive, tum intensive, certe nulla major pœna statui potest, maximis & maximè horrendis peccatis.

5. His positis sic argumentamur; Infinita culpa ex ordine justitiæ meretur infinitam pœnam: At culpa venialis non minus quam mortalis est infinita. Ergo [mereturinfinitam pœnam. Hujus syllogismi propositio major manifesta est, & ab omnibus conceditur. Probatur minor, quia culpa venialis, non minus quam mortalis, est infinita *objectivè*: nam contra infinitam Dei legislatoris majestatem

majestatem est commissa. Est etiam infinita *extensivè seu ratione durationis*, quia ejus macula ex se & secluſa Dei misericordia in æternum durat. Ergo ei debetur pœna, & *objectivè*, & *extensivè* infinita.

6. Ad hoc argumentum Alphonſus Curiel in 1am 2æ qu. 88. art. 1. dub. 2. S. 2. respondet his verbis.. *Quamvis* (inquit) *peccatum mortale dicatur infinitum malum objectivè & extrinsecè, propter infinitatem Dei offensi per ipsum: non sequitur, quod etiam isto modo peccatum veniale dicatur infinitè malum; & ratio discriminis est, quod peccatum mortale ita est contra Deum, ut omnino avertat ab eo, & & dissolvat amicitiam cum ipso: peccatum vero veniale nec avertit à Deo, nec dissolvit ejus amicitiam; & ideo infinitas objectiva, aut extrinseca, quæ solum convenit peccato ratione aversionis, reperitur simpliciter & absolutè in peccato mortali, & non in veniali, nisi valde impropriè, quatenus est offensa, quamvis levis, contrà Deum.*

7. Hæc responsio nullo modo satisfacit. Primò enim peccatum veniale *est etiam* (ut infrà patebit) *ita contra Deum, ut peccantem ab eo avertat.* Secundo quod peccatum veniale non dissolvat amicitiam, quæ nobis cum Deo intercedit, non est ex natura ipsius, sed ex gratia & misericordia Dei. Meretur enim ex se pœnam æternam, ut ex tribus præcedentibus argumentis patet: & proinde meretur etiam excluſionem à favore & amicitia Dei.

SECTIO.

SECTIO VII.

An peccatum mortale & veniale in hoc differant, quod mortale sit ex se irremissibile per ablationem principii remissionis, hoc est, gratiæ inhærentis; veniale vero sit ex se remissibile per non ablationem istius principii?

COnsideravimus præcedentibus sectionibus priorem differentiam, quam Adversarii assignant inter peccatum mortale & veniale viz. eam, quæ petita est ab horum peccatorum punitione. Nunc consideranda venit posterior differentia ab horum peccatorum remissione petita, quam cum Adversarii assignant, dicunt peccatum mortale esse *ex se irremissibile*, quia tollit *principium pœnitentiæ & remissionis*, hoc est, habitualem inhærentem gratiam; peccatum vero veniale esse *ex se remissibile*, quod peccantem non privet illa inhærente gratia, quæ ad pœnitentiam agendam, & proinde ad remissionem consequendam necessaria est. Qua propter duo hic consideranda sunt: viz. differentia, quam assignant Pontificii inter peccatum mortale & veniale, & fundamentum seu ratio illius differentiæ. Differentia est quod peccatum mortale sit ex se irremissibile: peccatum vero veniale sit ex se remissibile. Fundamentum vero differentiæ est, quod peccatum mortale tollat principium pœnitentiæ, seu gratiam inhærentem, peccatum vero veniale eam non tollat. Primo igitur de fundamento hujus differentiæ; deinde de ipsa differentia verba faciam.

2. De fundamento hujus differentiæ, quatenus in eo asseritur, gratiam inhærentem atque, adeo principium pœnitentiæ & remissionis totaliter tolli per peccata mortalia, dico Primo illud esse falsum & ipsis Scholæ Pontificiæ placitis contrarium. Primo enim quamvis peccantes mortaliter multa Spiritus S. dona excutiant & amittant, non tamen

totaliter ullum ex tribus illis habitibus, (fidem, spem & charitatem intelligo) sine quibus vita spiritualis consistere nequit, amittunt; ut patet ex Scripturæ testimoniis citatis parte 1a sect. 7. S. 6. Secundo quamvis verum esset id, quod Adversarii dicunt per peccata mortalia penitus aboleri gratiam inhærentem, non tamen inde sequeretur principium pœnitentiæ & remissionis tolli per peccata mortalia, modo vera sit doctrina illa *de providentia gratiæ circa impios*, quam Adversarii in Scholis communiter tradunt.

3. Nam principium pœnitentiæ & remissionis non tantum est *gratia inhærens* seu *habitualis* sed etiam *gratia assistens*, seu *gratia auxilii specialis*, quæ consistit non in permanente aliquo habitu, sed in motione seu actione Dei, qua cor hominis pulsat, eumque excitat & movet ad actus bonos supernaturales. Hanc gratiam esse principium pœnitentiæ & remissionis negari non potest, quia in prima hominis conversione, seu vocatione ad salutem, quæ justificationem præcedit, confertur ei supernaturalis vis & potentia credendi, ac pœnitentiam agendi, non per habitualis gratiæ infusionem (hæc enim non ante justificationem, sed eodem momento quo fit justificatio, infunditur) sed per assistentem gratiam auxilii specialis, seu per motionem Dei cor hominis pulsantis, eumque excitantis, ut communiter docent Pontificii. Si igitur peccatum mortale non tollat aut excludat hanc gratiam assistentem, non tollit & excludit principium pœnitentiæ & remissionis. At verum est prius ex recepta & communi Pontificiorum doctrina. Ergo verum est posterius.

4. Probatur assumptio, quia Pontificii plerique docent quemlibet hominem ratione utentem, quantumvis ille impius sit, habere sufficientem gratiam seu auxilium ad pias & salutares actiones, ita ut quovis tempore possit se ad Deum convertere per salutarem pœnitentiam, atque adeo remissionem peccatorum suorum consequi: vide Vegam lib. 13.

in

in concil. Trident. cap. 11. Molinam in concord. gratiæ & liberi arbitrii qu. 14. art. 13. disp. 10. Item Valent. tom. 2. disp. 8. qu. 3. punct. 4. S. 1. propos. 2. ubi hanc sententiam propugnat tanquam communiorem & in Scholis magis receptam, & pro ea varios Scriptores Pontificios citat. Alii vero Pontificii docent hoc auxilium gratiæ assistentis, & sufficientis ad conversionem & pœnitentiam, hominibus quantumvis impiis dari, non quidem semper, attamen *pro loco & tempore*. Et speciatim dicunt hoc auxilium sufficiens gratiæ assistentis, nunquam deesse homini, eo tempore quo tenetur ad Deum se convertere & pœnitentiam agere, seu, ut Bellarminus loquitur, *cum non potest sine conversione vitare peccatum*. Vide Bellarminum lib. 2. de gratia cap. 5. & cap. 8. respons. ad object. 1. Becanum opusc. de auxiliis gratiæ cap. 6. & Didacum Alvarez lib. 11. de auxiliis gratiæ disp. 112. num 5. conclus. 2. vide etiam Suarezii opusc. de reviviscentia meritorum disp. 1. sect. 3. S. 11. ubi dicit peccatores in mortalia peccata prolapsos, *non statim privari auxiliis gratiæ sufficientibus, imo nec efficacibus, propter peccatum commissum*. Si hæc vera sunt, planè corruit Pontificiorum doctrina de ablatione principii pœnitentiæ & remissionis per peccata mortalia. Quis enim dixerit eos carere principio pœnitentæ, quibus auxilia gratiæ ad pœnitentiam agendam necessaria ac sufficientia, imo etiam quandoque efficacia, subministrantur.

5. Dices primo pontificios fortassis hoc sibi velle, quod peccatum mortale tollat *principium habituale & interdum pœnitentiæ*: non vero quod tollat omne principium necessarium ac sufficiens ad pœnitentiam. Respondeo, hoc non satisfacit argumento nostro. Nam si quis vere & propriè potest agere pœnitentiam, atque adeo consequi remissionem, vi cujuscunque principii, sive habitualis & inhærentis sive externi & assistentis, ejus peccatum non potest dici irremissibile, propter defectum principii ac

pœnitentiam requisiti. Certe non multum refert per quod principium possit quis pœnitentiam agere, modo vere & propriè illud possit.

6. Secundo dicet aliquis, peccatores in peccata mortalia prolapsos non semper, quando tenentur ad Deum se convertere, actu habere omnia, sed tantum quædam auxilia ad ipsorum conversionem necessaria per modum principii; dici tamen habere auxilium sufficiens, quia per auxilia quæ actu habent, est in eorum potestate facere aliquid, quod si faciant, reliqua auxilia necessaria consequentur. Unde Suarez. lib. 3. de auxiliis gratiæ, cap. 6, S. 4. & 5. dicit hujusmodi auxilium non esse sufficiens absolutè, proximè, & in actu, sed remotè & in potentia. Respondeo primo: quibusdam peccatoribus statim postquam peccatum mortale commiserunt, communicatur auxilium absolute & proxime sufficiens, imo efficax, ut docet Suarez. in opusc. de reviviscentia meritorum, disput. 1. sect. 3. S. 11. Et patet exemplo Petri, quem Christus statim post tertiam ejus negationem oculis misericordiæ respexit, & in viam justitiæ per sinceram pœnitentiam reduxit. Secundo, sicut claudus aut æger qui non potest ambulare nisi initendo baculo vere dicitur posse ambulare, quamvis non actu baculo utatur, quia viz. potest eum arripere, eoque uti quando voluerit, ita etiam qui non habent actu omnia auxilia ad pœnitentiam requisita, sed possunt ea habere quando & quoties voluerint, illi vere dicuntur posse pœnitentiam agere. Et confirmatur: quia is qui peccati mortalis reus est, quando tenetur pœnitentiam agere, vel vere & propriè potest pœnitentiam agere, vel non potest. Si Adversarii dixerint eum verè & propriè posse pœnitentiam agere, habemus propositum: sequetur enim peccatori in peccata mortalia prolapso non deesse principium pœnitentiæ & remissionis: hoc est, auxilia gratiæ ad pœnitentiam agendam necessaria. Si dixerint eum verè & propriè non posse, sequetur secundum ipsorum doctrinam

eum

eum non liberè ſed neceſſario eſſe impœnitentem, & proinde ejus impœnitentiam non eſſe peccatum. Nam libertas ſeu *indifferentia ad oppoſitum*, ex eorum ſententia, eſt conditio neceſſaria ad actum moralem, tam bonum, quam malum.

7. Dico ſecundo, hoc fundamentum non ſufficere ad ſtabiliendam hanc poſteriorem differentiam inter peccatum mortale & veniale, quam aſſignant Pontificii cum dicunt peccatum mortale *eſſe ex ſe irremiſſibile*, & peccatum veniale *eſſe ex ſe remiſſibile*. Senſus enim illius differentiæ eſt, quod peccatum mortale ex propria ſua natura eſt irremiſſibile, & peccatum veniale ex propria ſua natura eſt remiſſibile. Ad hanc autem differentiam ſtabiliendam illud ſolum fundamentum ſufficere poteſt, quod ab ipſa natura peccati mortalis & venialis petitum eſt. At hoc fundamentum non eſt ab horum peccatorum natura petitum: ſed à quodam eorum effecto, quod merè & abſolutè, aut ſaltem præcipuè, à Dei voluntate pendet. Nam quod peccatum mortale gratiam inhærentem excludat, aut pellat ſive totaliter, ſive ex parte, peccatum vero veniale eam non tollat, ſeu excludat, id non pendet à natura horum peccatorum, ſed à voluntate divina.

8. Probatur hoc primo, de peccato mortali, quia poteſt jam Deus, ſecundum potentiam ejus abſolutam, conſervare gratiam inhærentem, & ſpeciatim habitum charitatis, ſimul cum peccato mortali; & ſi ita ei viſum fuiſſet, hoc eſt, ita decreviſſet ab æterno, potuiſſet ſemper & ordinariè eam in peccatoribus peccato mortali inquinatis conſervare. Ita docet Suarez. lib. 7. de divina gratia cap. 19. S. 14. & ſequentibus. Item cap. 20. S. 6. & ſequentibus. Ita etiam docet Alphonſus Curiel in 1*am* 2æ D. Thomæ qu. 113. art. 2. dub. 3. S. 2. & 3. & multi alii recentiores Scriptores: idque hac ratione confirmant, qua conſervatio gratiæ & charitatis in eo qui peccavit mortaliter, illudque peccatum nondum retractavit,

nullam implicat contradictionem aut repugnantiam sive respectu potentiæ Dei, sive respectu bonitatis & sapientiæ ipsius, hoc est, ut planius & brevius dicam, sicut non excedit virtutem potentiæ Dei infinitæ, ita nullo modo ejus sapientiæ & bonitati repugnat, ut illi locis citatis fusè demonstrant. Ergo quod peccatum mortale actu excludat, & tollat gratiam, non est ab ipsius natura, sed à libero Dei decreto, qui decrevit auferre gratiam inhærentem, seu habitualem, saltem ex parte, ab iis qui mortaliter peccant. Potuit igitur Deus efficere ut peccatum mortale, non minus quam veniale, esset remissibile per non oblationem gratiæ inhærentis, seu principii interni & habitualis ad pœnitentiam requisiti : & per consequens, quod peccatum mortale nunc sit irremissibile per ablationem gratiæ inhærentis, ut volunt Adversarii, non est ab ipsa natura peccati mortalis, sed à libera Dei voluntate.

9. Dices quamvis peccatum mortale ex se, & sua natura, non excludat gratiam, quia eam non expellit physicè, seu per proprie dictam, & veram efficientiam, verè tamen dici potest eam, ex se, & sua natura excludere, quia ex se eam excludit moraliter seu demeritorie: hoc est, meretur ut is qui peccavit, privetur gratiâ inhærente. Resp. Primo, τὸ mereri privationem gratiæ, non minus verè attribuitur peccato veniali quam mortali, ut statim patebit. Ergo peccatum mortale, per hoc non distinguitur à veniali. Secundo, ut peccatum aliquod dicatur exclusivum, seu expulsivum gratiæ, & charitatis, aut irremissibile per expulsionem gratiæ, non satis est, quod mereatur privationem gratiæ & charitatis. Nam peccatum mortale meretur etiam privationem, seu ablationem habituum fidei & spei, ut fatentur omnes Adversarii: & tamen ineptè quis diceret peccatum mortale esse exclusivum fidei & spei, aut esse irremissibile per ablationem istorum habituum, idque quia actu & realiter eos non expellit. Nam peccatores in peccata mortalia prolapsi, etsi amittant gratiam & charitatem

charitatem ex Pontificiorum sententia, non tamen amittunt fidem & spem. Vide Suarezium de divina gratia l. 11. cap. 5.

10. Similiter de peccato veniali idem probatur. Nam quod peccata venialia non excludant gratiam inhærentem, seu quod commissionem peccati venialis non sequatur gratiæ privatio, non est à natura ipsius peccati venialis, sed à Dei voluntate & misericordia, qui gratiosè & clementer nobiscum agit *non retribuens nobis secundum peccata nostra*. Psal. 103. 10. Probatur hoc primo, quia quamvis peccata venialia non dissolvant nunc actu amicitiam, quæ est inter Deum & homines, tamen ex se & secundum rigorem justitiæ, merentur dissolutionem amicitiæ divinæ. Ergo etiam merentur abstractionem, seu ablationem gratiæ inhærentis, quæ est effectum favoris & amicitiæ divinæ. Consequentia per se patet: probatur antecedens, quia peccata venialia merentur mortem æternam ut probatum est sectionibus præcedentibus, & magis patebit ex parte 3. hujus disputationis. Ergo merentur dissolutionem amicitiæ illius, quæ homini cum Deo intercedit. Secundo quamvis non mererentur dissolutionem amicitiæ illius quæ est inter Deum & homines justos, mereri tamen possent ablationem gratiæ habitualis, seu inhærentis, idque quia vera amicitia potest inter Deum ac homines esse ac conservari, quamvis illi carerent gratia habituali, seu inhærente modo habeat auxilia gratiæ assistentis sufficientia & efficacia, ut piè vivere & peccata graviora vitare possent. Hoc adeo certum est, ut doctissimi ex Adversariorum numero id concedant: nam quamvis Aureolus, & quidam alii cum eo docuerint neminem posse esse Deo gratum, aut Dei amicum, sine habituali justitia inhærente, tamen plerique Pontificii qui subtiliores habentur, quique hanc quæstionem accuratius tractarunt, contrarium sentiunt. Vide Suarezium, lib. 7 de divina gratia, cap. 3. & Alphonsum Curiclem in 1am 2æ qu. 113. art. 2. dub. 2. §. 6.

11. Dices:

11. Dices: Quamvis possibile sit aliquem puniri privatione gratiæ inhærentis, & tamen non puniri exclusione à favore & amicitia Dei, ut probat argumentum jam allatum, non tamen inde sequitur peccatum veniale mereri privationem gratiæ inhærentis. Nam ablatio tanti doni videtur esse pœna gravior, quam postulat natura peccati venialis. Respondeo: Argumenta quæ Adversarii afferunt pro levitate pœnæ peccato veniali debitæ, solummodo probant ea non mereri exclusionem à favore Dei in hac vita, & mortem æternam in altero sæculo. Ergo non obstantibus illis argumentis, dicere possumus peccatum veniale mereri eam privationem gratiæ inhærentis, quæ secum non adferat exclusionem à favore divino, & ad mortem æternam viam non sternat. Secundo, si Deus ob peccatum veniale auferret ab homine justificato gratiam inhærentem, & tamen eum non excluderet à favore suo, nec privaret eum auxiliis gratiæ assistentis ad piè vivendum necessariis, sed tantum auferret habitualem illam facilitatem benè agendi, is non posset justè conqueri de severitate Dei, præsertim cum *ex summa ejus benignitate sit quod non sumus absumpti*, ut habetur Thren. 3. 22. Tertiò ratio quam affert Suarez. lib. 11. de divina gratia, Cap. 8. S. 15. ad probandum peccatum veniale non mereri ullo modo privationem gratiæ, falsa & inepta est. Dicit enim hominem peccando venialiter nullo modo se avertere à Deo, ut abultimo fine: & inde concludit, Deum non posse ob peccata venialia se avertere ab homine, auferendo ab eo gratiam vel in totum, vel in parte. Dico hanc rationem esse falsam, quia qui peccat venialiter verè & propriè se avertit à Deo, & ad creaturam convertit, ut infrà patebit. Concludo igitur peccatum veniale posse justè à Deo puniri privatione gratiæ, & per consequens non ex se, & sua natura, sed à voluntate & decreto Dei hoc habere quod gratiam inhærentem non excludat. Hujus conclusionis veritatem quidam etiam ex Adversariis viderunt & agnoverunt

verunt: unde Filiucius Jesuita tract. 22. sui operis, S. 277. *non esset* (inquit) *contra justitiam, si Deus vellet totam charitatem corrumpi per peccata venialia.*

12. Hactenus de fundamento posteriorîs differentiæ, quam Adversarii assignant inter peccatum mortale & veniale, verba fecimus. Nunc de ipsa ijla differentia paucis disseremus. Dicunt Adversarii peccatum veniale esse *ex se remissibile*. Nos modum illum loquendi damnamus ut falsum & absurdum, & contra asserimus peccatum veniale non ex se, & sua natura, sed per accidens esse remissibile in iis in quibus est veniale, hoc est, in electis justificatis. Nam quod in iis sit veniale seu remissibile, id habet non ex natura sua, sed per accidens viz. propter conditionem subjecti, hoc est hominis qui peccavit venialiter: nimirum, quia is est præditus gratia inhærente, & quia est Dei filius, amicus, & confœderatus, cum quo Deus non secundum rigorem justitiæ sed secundum *multitudinem miserationum suarum* agere vult. Interim fatemur peccatum veniale habere hoc ex se & sua natura, quod dignum sit leviori gradu pœnæ æternæ, quam peccatum mortale. Fatemur Deum quoque aliquo modo respicere ipsam naturam peccatorum venialium, & eorum levitatem respectivam (non enim absolutè sed respectivè & comparativè levia sunt, quia viz. sunt leviora mortalibus peccatis) cum ob ea non infligit graves illas pœnas, quas ob peccata mortalia infligere solet; & cum sub conditione facilioris pœnitentiæ ea condonat. Sed in hoc ab Adversariis dissentimus, quod illi dicant naturam peccatorum venialium per se, & secluſa Dei misericordia, esse totalem & adæquatam rationem, cur Deus ob peccata venialia non infligat graviores illas pœnas, eaque tam facile remittat. Nos enim contra asserimus Deum, cum ita se gerit erga justificatos in peccata venialia prolapsos, præcipue respicere misericordiam suam, & gratiosum illud fœdus

fœdus, quod nobiscum in Christo inire dignatus est.

13. Quod igitur peccatum aliquod levius, ut v. g. verbum otiosum non sit ex se, & sua natura, veniale seu remissibile, hac ratione demonstramus. Si peccata leviora sunt ex se & sua natura remissibilia, etiam ex se & sua natura sunt per pœnitentiam revocabilia, vel, ut alii loquuntur, retractabilia. At falsum est posterius. Ergo & prius. Probatur propositio quia si hæc peccata, quæ venialia vocantur, nunquam retractarentur per pœnitentiam, aut per alium aliquem charitatis actum, tunc nunquam remitterentur: si autem nunquam remitterentur, semper punirentur: & sic pœna eorum esset æterna. Ergo idem est esse *ex se veniale seu remissibile*, & esse *ex se retractabile, seu revocabile per pœnitentiam*, vel per aliquem charitatis actum. Unde Bellarminus lib. 1. de amiss. gratiæ cap. 14. respons. ad ob. sect. 3. dicit peccatum veniale esse natura sua remissibile, *quia relinquit in homine charitatem, ex cujus actu facile remitti potest.* Et Vasquez. in 1am 2æ disp. 142. cap. 2. in fine, dicit peccata venialia esse ex se reparabillia per pœnitentiam, quia manent conjuncta cum principio vitæ, hoc est cum gratia.

14. Probatur etiam assumptio, Primo, quia id non competit rei ex se & sua natura, quod competit ei beneficio alterius rei toto genere ab eo diversæ. At esse retractabile per pœnitentiam competit peccatis venialibus beneficio charitatis seu gratiæ, quæ est res toto genere diversa à peccatis venialibus. Nam homo justificatus, qui peccatum veniale commisit, habet vim & potentiam agendi pœnitentiam de peccato veniali, non ab ipso peccato veniali, sed a gratia inhærente, quam Deus misericorditer, & ex indebito favore in eo conservat. Secundo peccata venialia non necessario secum trahunt aliquid, unde post pœnitentiam revocari possint. Vel, ut planius dicam, non sunt ex se necessario conjuncta cum gratia inhærente, quæ principium est actuum pœnitentiæ & charitatis, quibus peccata venia-

lia

lia retractantur. Ergo non ſunt ex ſe & ſua natura retractabilia per pœnitentiam. Probatur antecedens quia peccata illa, quæ in electis venialia ſunt, poſſunt eſſe, & ſæpe ſunt ſine gratia inhærente, hoc eſt, poſſunt eſſe & ſæpe ſunt in ſubjecto deſtituto gratia & charitate, ut patet ex reprobis ea peccata committentibus. Ergo non ſunt ex ſe & neceſſario conjuncta cum gratia inhærente,

15. Dicet aliquis primo: quamvis peccata venialia ex ſe & ſua natura, non ſunt conjuncta cum gratia, tamen ex ſe & ſua natura non repugnant gratiæ, nec eam tollunt: & hoc ſatis eſt ut dicantur ex ſe remiſſibilia, ſeu reparabilia per pœnitentiam. Reſpondeo non ſatis eſt: nam quamvis verum eſſet, quod illi dicunt, peccata venialia ex ſe & ſua natura non tollere eam gratiam inhærentem, quæ eſt neceſſaria ad eorum remiſſionem obtinendam, tamen adhuc verum eſſet, ea ex ſe illam gratiam non ponere, & proinde ea non eſſe ex ſua natura revocabilia per pœnitentiam. Nam ut ſupra monui, peccata illa leviora non ſunt remiſſibilia & venialia, niſi quatenus ſunt revocabilia per pœnitentiam, ſemper enim requiritur pœnitentia ad remiſſionem peccati.

16. Secundo dicet aliquis cum Cajetano in 1am 2æ ſuper qu. 87. artic. 5. quamvis peccatum veniale non ſit ex ſe remiſſibile *poſitivè*, ut probat argumentum (quia ex ſe non ponit principium remiſſionis & pœnitentiæ, hoc eſt, ex ſe & ſua natura non eſt conjunctum cum gratia & charitate) nihilonimus tamen illud poſſe dici ex ſe remiſſibile *negativè*, hoc eſt poſſe dici remiſſibile per *non ablationem principii pœnitentiæ & remiſſionis*: quia viz. non excludit aut tollit inhærentem gratiam, quæ pœnitentiæ & remiſſionis principium eſt. Reſpondeo primo illum modum loquendi eſſe valde abuſivum & improprium. Nam ſicut ineptè quis diceret illud, quod per ſe, & ex ſe, neque gaudii neque doloris cauſa eſt, (ut v.g. tollere feſtucam, fricare barbam) eſſe per ſe delectabile aut jucundum, quia triſtitiam non affert,

&

& causam gaudii non tollit, ita etiam ineptè & absurde loquuntur qui dicunt peccata leviora esse ex se remissibilia, quia principium seu causam pœnitentiæ & remissionis non tollunt. Secundo quod peccatum veniale sit remissibile negativè, per non ablationem gratiæ inhærentis, quæ est principium pœnitentiæ & remissionis, quod, inquam, hoc modo remissibile sit, non est à natura hujus peccati sed à voluntate & decreto Dei. Nam peccatum veniale meretur ablationem seu privationem gratiæ, ut supra monui S. 10. hujus sectionis, & proinde Deus justè posset efficere ut peccans venialiter careat gratia habituali seu inhærente, per quam peccatum veniale est remissibile. Ergo falso dicit Cajetanus peccatum veniale esse ex se & sua natura remissibile *negativè*.

DISPU-

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

Vero discrimine peccati mortalis & venialis, déque impossibilitate implendi legem Dei ob quotidianam peccatorum venialium incursionem.

PARS TERTIA

In qua considerantur & confutantur fundamentales differentiæ, quas assignant Pontificii inter peccatum mortale & veniale.

SECTIO I.

An recte doceant Adversarii offensas in re levi commissas non mereri dissolutionem amicitiæ.

DIfferentiæ quas constituunt Pontificii inter peccatum mortale & veniale, distinguí possunt in *principales*, & *subservientes*, seu *fundamentales*. Principales differentiæ sunt illæ quæ exprimunt formales & specificas rationes, propter quas quædam peccata mortalia, & quædam venialia in Scholis Papisticis dicuntur. In Adversariorum enim Scholis quædam peccata dicuntur mortalia, quia mortem merentur, & gratiam excludunt, & proinde ex se irremissibilia sunt.

Quæ-

æternam non merentur nec gratiam excludunt, & si ex se remissibilia sunt, quia viz. principium pœnitentiæ & remissionis non tollunt. Subservientes, seu fundamentales differentiæ sunt, fundamenta & rationes quæ ab Adversariis afferuntur, ut peccata mortalia pœnam æternam & gratiæ privatione mereri venialia vero hæc non mereri, ostendant. De priori genere differentiarum, quas inter peccata mortalia & venialia assignant Pontificii, egimus parte præcedenti hujus disputationis: & proinde de posteriori earum genere hac tertia atque ultima parte differendum est.

2. Fundamentales differentiæ, quas pontificli inter peccata mortalia & venialia assignant, sunt variæ. Dicunt enim peccata venialia non mereri pœnam æternam & privationem gratiæ, mortalia vero ea mereri. 1. Quia hæc sunt contra legem, illa vero non sunt, 2. Quia hæc repugnant charitati, illa non repugnant, 3. Quia hæc avertunt peccantem à Deo ut à fine ultimo, illa vero non avertunt. 4. Quia hæc tam ex parte objecti, quam ex parte modi quo committuntur, sunt graves offensæ, illa vero, vel ex parte objecti, vel ex parte modi quo committuntur, sunt leves offensæ. Ego ab ultimo hoc discrimine peccati mortalis & venialis, hujus tertiæ partis initium faciam. Nam eo sublato reliquæ differentiæ facilius consutantur. Et quia Adversarii de levitate peccatorum venialium differentes, probant ea non posse aut debere dissolvere amicitiam quæ nobis cum Deo intercedit, quia leviores offensæ non solent dissolvere amicitiam quæ inter homines est, ideo ostendam primò, argumentum Aversariorum ab analogia amicitiæ humanæ petitum non esse firmum & validum: deinde probabo peccata venialia, etsi multo leviora sint mortalibus, non tamen esse simpliciter & absolute leves offensas.

3. Quod ad prius attinet, intrepide affirmamus amicitiam divinam, causasque seu rationes, propter quas ea conservatur, vel dissolvitur, non esse exigendas ad

amicitiæ

micitiam humanam, & ad causas, per quas ea conservatur, aut dissolvitur. Idque primo quia multa offensarum genera, quæ non dissolvunt amicitiam humanam, & tamen ex ipsa Adversariorum sententia, dissolvunt amicitiam divinam, hominesque ab ejus favore meritò excludunt. Error v. g. & ignorantia, etiamsi *vincibiles* sint, sæpissimè excusant & extenuant amicorum offensas & injurias, etiam graves ut eorum amicitiam non dissolvant. At tamen non inde sequitur offensas graves ex vincibili ignorantia commissas non dissolvere amicitiam inter Deum & homines. Nam ejusmodi offensæ vocantur peccata mortalia. Item cum quis ex proposito & intentione benefaciendi, amicum in re majoris momenti offendit, putans se ei facere rem gratissimam & utilissimam, non propterea excluditur ab amicitia aut favore amici sui. At qui ex zelo & intentione placendi Deo in re gravi peccat, ut v. g. Paulus existimabat se persequendo Ecclesiam præstare obsequium Deo, is peccat mortaliter & proinde à favore Dei excludi censetur. Item non solent viri boni, & prudentes, ob unam offensam, etiam in re graviori commissam, veteres fideles, & optime de se meritos amicos à favore suo & amicitia excludere. At unum peccatum mortale ab eo commissum, qui diu antea in statu gratiæ perseveraverat, multisque pietatis & charitatis operibus illustris fuerat, potest, & solet ex Adversariorum sententia, *totaliter*, imò etiam *finaliter*, eum excludere à favore divino. Ob hoc argumentum Gregorius Martinez in 1*am* 2*æ* D. Thomæ qu. 1. art. 5. dub. 2. resp. ad obj. 2. fatetur imparem esse rationem amicitiæ divinæ & humanæ, *quod illa consistat in indivisibili, hæc vero habet latitudinem quandam, & gradus: unde* (inquit) *licet amicitia humana non amittatur per unum actum, bene tamen divina*, (supple, per unum actum amitti potest) *juxta illud Jacobi. Qui offendit in uno, factus est omnium reus.*

4. Secundo, ob leves offensas non solet amicus amico, imo nec Dominus servo aut Princeps subdito, graves

graves pœnas infligere. At ex Adversariorum sententia, Deus ob peccata venialia, amicis & filiis suis solet gravissimas & acerbissimas pœnas infligere, vi Purgatorii, quarum minima est major maxima pœ hujus vitæ, ex sententia Thomæ in 4. Sentent. di 20. qu. 1. art. 2.

5. Tertio evidens ratio afferi potest cur amicitia divina, potius quam humana, ob offensas re levi commissas jure dissolvi possit: Quatuor enim sunt, quæ hujusmodi offensas contra homine commissas excusabiles & veniales reddunt. viz 1. Quod inevitabiles sint. 2. Quod mutuæ sint & communes inter amicos. 3. Quod non committantur contra specialem amici offensi prænmonitionem 4. Quod non committantur ex plena & perfecta deliberatione. At ex his, tres primæ nunquam, quarta vero non semper, sed aliquando tantum excusare potest offensas contra Deum commissas.

6. Primo igitur in amicitia humana offensas in re levi commissas *excusat earum inevitabilitas*, seu necessitas. Nam ab amicis nostris exigere non possumus ut in omnibus nobis placeant, & in nulla re nos offendant: idque quia hæc conditio est simpliciter impossibilis & eorum vires superat. At cum Deus fœdus amicitiæ cum hominibus ante lapsum pepegit, jure hoc ab iis exigere potuit, idque quia in illo statu facillimè & sine ulla molestia peccata omnia, etiam levissima vitare potuimus. Nec refert quod jam id nos præstare non possumus; nam quamvis nos amisimus potentiam seu vires præstandi perfectam obedientiam, tamen Deus non amisit jus suum exigendi perfectam obedientiam à nobis, & per consequens eam etiamnum exigere posset, si stricto jure nobiscum agere vellet.

7. Secundo leviores offensæ contra homines commissæ veniales habentur, quia *mutuæ sunt & communes inter amicos*, hoc est, quia amici se mutuo hujusmodi levibus injuriis offendunt. Mutuæ autem

em offenſiones mutuam ignoſcentiam requi-
nt. At in amicitia divina ita ſe res non habet.
m nos innumerabilibus peccatis Deum noſtrum
endimus, is vero nunquam vel leviſſima injuria aut
enſa nos afficit: Unde Jer. 2. 5. ſic conqueritur
us de populo Iſraelitico. *Quid invenerunt patres*
ſtri in me iniquitatis, quod longe abſceſſerunt à me?
Threnor. 3. 33. teſtatur ſe cum homines ob pec-
a punit, *non affligere ex animo ſuo, aut mœſtitia*
icere filios viri.

8. Tertio offenſas leviores hominum contra ip-
um amicos commiſſas excuſare debet & poteſt
fectus prænonitionis, aut ſaltem talis prænonitionis,
uali Deus utitur, cum nos prænonet ne peccata,
el leviſſima committamus. Certe ſi amicus ab a-
ico in re levi aut parvi momenti offenſus eum non
lum moneret, ſed etiam ſtudioſiſſime rogaret,
ortaretur & obteſtaretur ne in ea re impoſterum
m offendat, & ſimul etiam ſignificaret eam rem,
et alioqui in ſe levem, & parvi momenti, ſibi vel
aximè diſplicere, ſique alter amicus ſic prænono-
tus in eandem offenſam ſingulis horis & horarum
omentis relabaretur, profecto is hoc faciendo ju-
iſſimam cauſam præberet amico ſic offenſo exclu-
endi eum à favore ſuo. Ita plane ſe res hic habet.
eus enim, non tantum monet, & mandat, ſed etiam
os rogat, hortatur, & per miniſtros ſuos
os obteſtatur, ut ab omni peccato caveamus,
no etiam in verbo ſuo aperte declarat ſe ſum-
no odio proſequi omnem iniquitatem, utpote
uæ naturæ maximè contrariam. Qui igitur poſt
ot admonitiones, exhortationes, & obteſtationes,
ommittit peccata, vel leviſſima, quæ tantopere
eo diſplicent, is certe à favore Dei excludi me-
etur.

9. Quarto leviores offenſas ab hominibus con-
ra ipſorum amicos commiſſas ſæpè excuſant error,
gnorantia, inadvertentia, & ut verbo dicam,
fectus plenæ deliberationis. Nam alioqui ſi quis
ſciens,

sciens, volens, & ex plena deliberatione amicum
ostendat in re aliqua, quam, licet levioris momenti si
amico tamen suo maxime displicere intelligit, ejus
offensa pro insigni injuria & contemptu habetur:
proinde amicitiæ dissolutionem mereri judicatur. A
sæpe illa peccata, quæ levia & venialia vocantur
sunt perfecte voluntaria, id est ex plena deliberatio
ne committuntur ab iis, qui probe intelligunt
Deo displicere, ut fatentur omnes Adversarii. Na
peccata deliberatissima seu maximè voluntaria, in
levis momenti commissa pro venialibus habent. Erg
ea pro insigni injuria & contemptu habenda, & pro
inde amicitiæ nostræ cum Deo dissolutionem mere
judicanda sunt. Alias responsiones ad argumentu
Adversariorum ab analogia amicitiæ humanæ petitu
vide apud Chamierum tom. 3. lib. 6. cap. 10.
18, 19. & apud Paræum in lib. 1. Bellarmi
de amiss. gratiæ cap. 11. respons. ad argum. 4.

SECTIO II.

An peccata quæ venialia vocantur, sint simpliciter & absolute leves offensæ?

QUod ad posterius attinet, dico peccata venialia
etsi sint leviora multo peccatis mortalibus
non tamen esse simpliciter & absolute leve
offensas.

2. Primo enim peccatum veniale committitur
contra divinam excellentiam. Nam ea quolibe
etiam peccato levissimo offenditur: & per conse
quens peccatum veniale *est altioris ordinis*, sci
est malum gravius, *quam sunt omnia mala pœna ve
offensiones contra homines commissæ qua tales sunt*, u
expresse fatetur Suarez. lib. 11. de divina grati
cap. 3. S. 17.

3. Secundo tanto gravius est peccatum, quanto
major est persona, contra quam peccatur, ut v. g
per

ercutere principem est multo gravius peccatum, am percutere hominem privatum. Ergo si persona ntra quam peccatur sit infinite excellentior qua- et alia persona, peccatum contra eum commissum it infinite majus quolibet alio peccato; & proin- erit peccatum infinitum, seu habebit malitiam in- nitam. Hæc illatio non est nostra, sed Granatensis, riptoris Pontificii pii & docti, qui in libro quem ichael ab Isselt ex variis ejus operibus collegit, & *lores Granat.* inscripsit part. 3. c. 5. sic scribit. *Certum* inquit) *est, quo persona inquam peccatur nobilior est, eo ccatum majus esse, ut si persona offensa sit infinitæ dig- itatis etiam offensa in illam facta erit infinitæ gra- itatis.* Hic videtur Granatensis, loqui de peccato genere: sed sive de eo loquatur, sive non loquatur, rum interest. Nam argumentum quo utitur bene commodari potest omni peccato. Si enim bene quatur peccatum mortale esse infinitæ gravitatis, uia contra majestatem infinitam committitur, bene iam sequitur peccatum veniale esse infinitæ gravi- tis, quia illud etiam contra infinitam Dei majesta- m committitur, nt per se pateti Respondet Curiel *am 2æ* q. 88. art. 1. dub. 2. imparem esse rationem ccati venialis & mortalis, *quia peccatum mortale ita contra infinitam Dei majestatem, ut peccatum à Deo uatenus est finis ultimus, avertat*, quod de peccato enialī dici non potest. Sed hoc effugium infra onfutabimus, & ostendemus per peccatum veniale on minus vere & proprie, quam per peccatum mor- ale, hominem averti à Deo, quatenus is est finis ul- imus vitæ humanæ.

4. Tertio si consideremus omnes circumstantias eccati venialis, videbimus illud male comparari evibus offensis, aut minutioribus hominum negli- entiis in suo obsequio erga amicos. Nam ut supra onui, offensa etiam in re levi contra hominem com- nissa, gravis esse, & amicitiæ dissolutionem mereri udicatur, si committatur post varias personæ offen- æ admonitiones, exhortationes, & obtestationes

in

in contrarium, ſique perſona offenſa ſæpius antea declara verit ſe eam rem, in qua offenſa committitur maxime averſari. At peccatum veniale hoc modo committitur contra glorioſam & infinitam Dei majeſtatem, ut patet ex iis quæ dicta ſunt ſectione præcedenti. Quibus hoc etiam addendum eſt, quod odium, quo Deus ſe peccatum quodlibet proſequi in verbo ſuo teſtatur, ſit longè majus eo odio, quo nos res maximè nobis moleſtas & damnoſas averſamur. Cum enim homines pii & amore Dei flagrantes peccata omnia, etiam leviſſima, deteſtentur, certè Deum ipſum ea multo magis deteſtari neceſſe eſt. Unde Granatenſis loco nuper citato, cap. 7. dicit *odium, quo Deus peccatum proſequitur, tantum eſſe ut nullius id capiat intellectus:* idque hac ratione confirmat, *Quanto* (inquit) *quid melior eſt, tanto magis benitatem diligit, oditque malitiam ſeu iniquitatem: cum itaque Deus bonus ſit, nec tantum bonus, ſed infinite bonus, ſequitur ut infinito amore bonitatem diligat odioque infinito malitiam proſequatur.* Hæc Granatenſis,

5. Similiter offenſa, etiam in re levi contra hominem commiſſa, ut ſupra monui, gravis eſſe, & diſſolutionem amicitiæ mereri judicatur; ſi committatur ex plena deliberatione contra eum; cui offendens ſcit eam maximè diſplicere. Ergo etiam peccatum leviſſimum ex plena deliberatione commiſſa contra Deum, cui tantopere diſplicet, pro gravi offenſa & injuria habendum eſt. Et confirmatur, quia qui in re parvi momenti Deum ex plena deliberatione offendit, is exiguam delectationem aut utilitatem voluntati divinæ, & obſervationi mandatorum ejus præfert. Hominem enim deliberanti. an hujuſmodi peccatum committere præſtet, ab una parte proponitur delectatio, aut utilitas, quam illud peccatum ei adferre poteſt, ab altera parte proponuntur Dei voluntas, & amor quo virtutem, & odium quo vitium proſequitur Deus: ita ut in unam lancem mitta-

tur

tur Deus, & in aliam temporalis utilitas aut delectatio. Si ergo in hujus deliberationis conclusione, homo apud se statuat peccatum illud committere, temporalem, eamque exiguam utilitatem Deo manifeste præfert: atque ita coronam & gloriam, quæ debetur Deo tanquam ultimo fini ei subtrahit, & creaturæ, hoc est, temporali utilitati, aut voluptati imponit. Ita ratiocinatur Granatensis loco citato, cap. 6. ubi de solo peccato mortali expresse loqui videtur: sed argumentum quo illic utitur, non minus veniali quam mortali peccato accommodari potest.

SECTIO III.

An peccata venialia sint contra legem? & an sint contra finem legis?

QUod ad primam quæstionem in titulo hujus Sectionis propositam attinet, Lombardus in 2um Sent. dist. 35. litera A. Thomas 1a 2æ qu. 88. art. 1. ad 1um, & inter recentiores Pontificios Bellarminus lib. 4. de Justif. cap. 14. docuerunt peccata venialia *non esse contra, sed præter legem*, & sola mortalia vere & proprie esse contra legis præcepta. De hac sententia dico primo eam esse in se falsam & absurdam.

2. Primo enim qui peccat venialiter, ad certam pœnam condemnari potest, ut omnes fatentur. Omnis autem condemnatio ad pœnam fit vi legis alicujus, qua talis pœna peccantibus decernitur. Cum igitur lex iis solis qui ipsam transgrediuntur, pœnam comminetur, manifeste sequitur eos, qui peccant venialiter, qua tales sunt, esse transgressores legis.

3. Secundo peccata venialia sunt contra rectam rationem. Nam recta ratio dictat verba ociosa cogitationes inordinatas, & multa alia ex iis, quæ

peccatorum venialium nomine censentur esse illicita & fugienda: Ergo peccata venialia sunt etiam contra legem Dei. Ratio consequentiæ est, quia recta ratio prohibens aliquid, aut dictans aliquid esse malum, illicitum, aut fugiendum, nihil aliud est, quam lex Dei cordi inscripta, juxta illud Rom. 2. 15. *qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.*

4. Tertio, si peccata venialia non contra, sed præter Dei legem tantum essent jam non peccata essent, sed opera indifferentia: & proinde licita. Licitum enim est, quicquid nulla lege prohibetur. Item si hæc doctrina vera esset, qui ab hisce peccatis abstineret, is faceret opus non *præcepti*, sed *consilii*, atque adeo faceret opus supererogationis. Nam opus consilii & supererogationis idem valent. Docent enim Pontificii, omne opus bonum quod non est à Deo præceptum, esse opus supererogationis. At certe nimis absurdum est, dicere hominem abstinendo à quocunque peccato facere opus supererogationis.

5. Dico secundo hanc sententiam & olim displicuisse & hodie displicere plerisque Theologis Pontificiis. Nam hanc sententiam rejiciendam esse, nisi aliter accipiatur quam verba sonant docent Durandus in 2. Sentent. dist. 42. quæst. 6. S. 12. Major in 2. Sentent. dist. 42. qu. 6. Vega in Concil. Trident. lib. 14. cap. 13. Vasquez. in 1*am* 2æ disp. 143. cap. 3. Valent. tom. 2. disp. 6. qu. 18. punct. 1. col. 712. Alphonsus Curiel in 1*am* 2æ qu. 88. art. 1. dub. 3. S. 1. Estius in 2. Sent. dist. 35. S. 2. Becanus part. 2. Summæ Theologicæ tract. 2. c. 2. qu. 7, concl. 2. Joannes à Rada in 2. Sent. controv. 17. art. 1. conclus. 2. & Franciscus de Herera in 2. Sent. disp. 42. qu. 4 in fine. Imo ipse Bellarminus licet, lib. 4. de just. cap. 14. damnet Andream de Vega asserentem peccata esse propriè contra legem Dei, tamen lib. 1. de amiss. gratiæ cap. 11. fatetur quædam venialia peccata esse contra legem, sed non perfecte.

6. A

6. Ad ſecundam quæſtionem in titulo propoſitam, Eſtius in 2*um* Sent. diſt. 34. S. 2. Becanus in Summa Theol. part. 2. tract. 2. cap. 2. qu. 7. & multi alii, cupientes periculoſam illam & difficilem Lombardi, Thomæ ac Bellarmini ſententiam mollire & cautius proponere, reſpondet peccata venialia *non eſſe proprie contra finem legis, Nam* (inquiunt) *finis legis eſt charitas*, 1 Tim. 1. v. 5. *Nullum autem veniale eſt contra charitatem.* Sed hæc ſententia non minus falſa & abſurda eſt, quam præcedens. Nam charitas dicitur eſſe finis legis, ut docet Becanus loco citato, *quia omnia præcepta legis eo ſpectant, ut diligamus Deum ex toto corde, & proximum noſtrum, ſicut nos ipſos.* Mat. 22. v. 37, 39. & Rom. 13. 8. 10. At qui peccat venialiter Deum ex toto corde non diligit, ut ex ſectione 5. patebit.

SECTIO IV.

An ſimpliciter ac ſine adjectione dicendum ſit peccata venialia eſſe contra Dei legem?

ALphonſus Curiell in 1*am* 2*æ* qu. 88. art. 1. dub. 3. ſuam ſententiam de hac quæſtione proponit his verbis. *Peccatum veniale reipſa eſt contra legem, & contra aliquod præceptum: quamvis quantum attinet ad modum loquendi, non ſit dicendum ſimpliciter, & ſine addito, quod ſit contra legem aut contra præceptum: idque quia in Scriptura nomen legis aut præcepti abſolute ſumptum ſolet tribui ſolum, præceptis, quorum obſervatio eſt neceſſaria ad conſecutionem vitæ æternæ &c. Sed peccata venialia non ſunt contra hujuſmodi præcepta. Ergo non eſt dicendum ſimpliciter & ſine addito, quod ſint contra præceptum, aut contra legem.* Hanc etiam ſententiam amplectitur Vaſquez. in 1*am* 2*æ* diſp. 141. cap. 4. num. 8.

2. Diſtinctio hæc præceptorum legis divinæ in

ea quorum observatio est necessaria ad consecutionem æternæ gratiæ, & ea quorum observatio non est necessaria, duobus modis intelligi potest. Cum enim adversarii dicunt quorundam præceptorum observationem non esse necessariam ad vitam æternam obtinendam, seu, quod idem valet, quædam peccata non prohiberi sub pœna æterna; si intelligant ea nunc sub fœdere gratiæ non prohiberi strictè & præcisè sub periculo pœnæ æternæ, quamvis secundum rigorem justitiæ, sub ea pœna prohiberi possint, & etiam actu prohibita sint in fœdere operum, illi nihil contra nos dicunt, sed potius in nostram sententiam transeunt. Nam nos directè & expresse tantundem asserimus, ut patet ex prima parte hujus disp. sect. 3. S. 5, 6, 7. Si vero intelligant quædam esse præcepta quorum observationem Deus exigere nequit ut præcisè necessariam ad salutem & consequenter, quorum transgressionem justè punire non potest pœna æterna, manifestè errant, & in assignanda fundamentali ratione, propter quam peccata venialia dicuntur non mereri mortem, principium petunt.

3. Dico eos errare, quia supra probavimus primo omnia peccata, etiam levissima à Deo justè prohiberi posse sub pœna æternæ mortis: secundo ea omnia sub hac pœna prohibita esse in fœdere operum: & tertio peccata ea quæ comparativè levissima sunt, esse in se & simpliciter offensas graves & æterna morte dignas. Duo prima ex his parte 2. sect. 5. tertium vero duobus primis sectionibus tertiæ hujus partis, & tota fere parte 2. validissimis argumentis demonstravimus.

4. Dico eos principium petere, quia ut ostendant peccata venialia æternam mortem non mereri, id ipsum pro argumento sumunt, quod hic in controversiam vocatur, viz. *quorundam præceptorum divinorum transgressiones justè prohiberi non posse sub pœna æternæ mortis, quia scilicet æternam mortem non merentur.*

5. At

5. At (inquit Curiel) Scriptura sacra sæpius testatur, neminem æternam gloriam assequi posse nisi servet mandata, ut v. g. Math. 19. v. 17. Joan. 14. 15. & 1 Johan. 2. 4. quod non de omnibus mandatis intelligi debet. Nam mandata ea quæ prohibent peccata venialia, servari non possunt ab hominibus justissimis, qui tamen æternam gloriam consequntur. Ergo de quibusdam tantum mandatis intelligendum est, & per consequens, quædam mandata sunt, quorum observatio est necessaria ad salutem, quædam vero sunt, quorum observatio non est necessaria. Deinde id confirmat quia Scriptura testatur *eum qui proximum diligit implevisse legem*, Rom. 13. 8. At qui peccat tantum venialiter, diligit proximum. Ergo is legem implevit: hoc est observavit ea præcepta legis, quorum observatio est ad salutem necessaria.

6. Respondeo, testimonia S. Scripturæ, quæ tem necessariam & ab iis actu præstari, qui vera charitate præditi sunt, diversimode intelligenda esse. Quædam enim ex iis intelligenda sunt *de legali mandatorum observatione*, ad quam perfecta & omnibus numeris absoluta obedientia; &, quod idem valet, immunitas ab omni peccato, etiam veniali, est necessaria. Alia vero intelligenda sunt *de Euangelica mandatorum observatione*, quæ eam solam obedientiæ & spiritualis perfectionis mensuram à nobis ut præcisè ad salutem necessariam exigit, quæ per gratiæ nobis concessæ auxilia est possibilis, & quæ cum levioribus illis peccatis, sine quibus nemo Sanctorum vivit aut vivere potest, facile consistit Primus locus ab Adversario citatus, de priori illa mandatorum divinorum observatione à multis orthodoxis intelligitur, & proinde ex eo probatur non quorundam, sed omnium præceptorum legis, etiam eorum quæ prohibent venialia peccata, observationem esse necessariam ad salutem. Vide Paræum in lib. 3.

Bellarmini

Bellarmini de Justif. cap. 12. p. 812. & lib. 4. cap. 2. pag. 960 Reliqui de Euangelica mandatorum observatione intelligi debent: & proinde ex iis probatur solummodo quædam esse præcepta aut interdicta legis, quorum observatio nunc sub fœdere gratiæ non exigitur præcisè necessaria ad salutem, quamvis secundum rigorem justitiæ sic exigi posset. Unde sequitur eorum mandatorum transgressiones esse peccata venialia non ex se, aut *secundum rigorem legis*, sed *secundum indulgentiam Euangelicam*, & ex singulari Dei misericordia.

SECTIO V.

An peccata venialia repugnent charitati quæ est finis legis?

BEllarminus lib. 1. de amiss. gratiæ cap. 11. argum. 3. peccata venialia æternam mortem non mereri hac ratione probare conatur. *Pœna æterna non debetur peccato nisi ratione aversionis à bono æterno, quod est Deus. At peccatum veniale ex natura sua non ponit in homine aversionem à Deo, cum non repugnet charitati, ut perspicuum est. Igitur peccatum veniale ex natura sua non est ejusmodi, ut reum faciat hominem supplicii sempiterni.* Hujus syllogismi propositio sana & orthodoxa est. Assumtio vero, ejusque confirmatio, falsissimæ sunt, ut ex hac Sectione, & duabus sequentibus manifeste patebit.

2. Ad quæstionem igitur in titulo hujus sectionis propositam Respondemus, peccata venialia verè & propriè repugnare charitati, quæ est finis legis: idque quia repugnant præcepto charitatis quo jubemur Deum supra omnia, seu ex toto corde diligere. Hoc autem probamus Primo ex iis interpretationibus hujus præcepti, quas Adversarii afferunt

runt. Hoc enim præceptum sic explicatur à Bellarmino, lib. de Monachis cap 2. 13. item lib. 1. de amiss. gratiæ cap. 12. resp. ad object. 2. & à Becano parte 2, Summæ tract. 4. cap. 4. quæst. 1. §. 30. *diligere Deum ex toto corde, est eum ita diligere, ut nihil Dei amori anteponamus, vel adæquemus, utque nullius creaturæ amore vel timore velimus Deum offendere.* Similiter Suarez. lib. 1. de divina gratia cap. 31. §. 13. sic describit amorem Dei supra omnia, *Amor Dei* (inquit) *super omnia esse debet amor obedientialis quo voluntas velit Deo non solum bonitatem quam in se habet, sed etiam propter illam velit Deo placere in omnibus, & fugere omnia contraria, solum ut ei complaceat.* Vasquez. in 1*am* 2æ disp. 194. cap. 3. sub finem. *Idem* (inquit) *est diligere Deum ex toto corde, quod diligere Deum est toto corde simplici, in quo nihil contrarii amoris admittatur.*

3. Sic etiam Valent. tom. 3. disp. 3. quæst. 4. punct. 2. col. 546. loquens de illo præcepto quo jubemur Deum diligere ex toto corde, ex toto anima &c. *Non requiritur à nobis summa etiam intensio actus dilectionis, seu ut diligamus* Deum *plusquam omnia intensive, sed ut appreciative quidem summe Deum diligamus: id quod fit cum nulla alia res anteponitur Deo ut est ultimus finis noster.* Imo ipse Thomas 2a 2æ quæst. 24. in corpore articuli 12. eodem sensu explicat præceptum charitatis: *Est* (inquit) *de ratione charitatis quod homo sic diligat Deum, ut velit se in omnibus ei subjicere, & regulam præceptorum ejus in omnibus sequi: quiquid enim contrariatur præceptis ejus manifeste contrariatur charitati.* Et Alvarez. lib. 6. de auxiliis divinæ gratiæ, disp. 51. §. 4. dicit diligere Deum ex sententia Thomæ, esse *omnia in Deum tanquam in ultimum finem referre, & nihil in corde divinæ dilectioni contrarium admittere.*

4. At juxta has explicationes præcepti charitatis manifestum est, innumera peccata venialia esse contraria charitati. Nam qui committit

pec

peccatum leviſſimum ſciens, volens, & ex plena deliberatione, is temporalem utilitatem, aut delectationem, ob quam peccat, Deo ejuſque amori præfert, & proinde non diligit Deum ſuper omnia *appreciative*: is ob amorem vilis creaturæ Deũ offendere non curat: is non ſtudet Deo in omnibus placere, nec fugit omnia quæ voluntati divinæ contraria ſunt: is etiam aliquid contrarii amoris ſeu illiciti amoris creaturarum in cor ſuum admittit: is, ut infra patebit, non omnia in Deum ut in ultimum finem refert. Denique, ut verbis Thomæ utar, *is Deo in omnibus ſe non non ſubjicit, nec regulam præceptorum ejus in omnibus ſequitur.* Omne enim peccatum eſt, tranſgreſſio legis divinæ nam alioqui non eſſet peccatum.

5. Ad hoc Argumentum Adverſarii varie reſpondent variiſque effugiis utuntur ut oſtendant eos qui venialiter tantum peccant *perfecte ſe Dei legi ſubjicere & regulam præceptorum ejus in omnibus ſequi.* Quidam enim dicunt peccata venialia *non eſſe contra ſed præter legem.* Alii vero ea *non eſſe contra præcepta illa legis, quorum obſervatio ad ſalutem neceſſaria eſt.* Sed hæc effugia duabus præcedentibus ſectionibus confutata ſunt.

6. Secundo peccata venialia adverſari præcepto charitatis evidentiſſima ratione probamus. Qui enim diligit aliquid plus quam Deum, hoc eſt, qui aliquid ei præfert, is manifeſte tranſgreditur præceptum charitatis. At qui peccat venialiter, aliquid Deo præfert. Ergo &c. Major hujus ſyllogiſmi conceditur ab omnibus Adverſariis. Dicunt enim mortale peccatum adverſari charitati *quia is qui illud committit præfert creaturam creatori.* Vide Vaſquezium in 1am 2æ diſput. 143. cap. 4. num. 7. Ut igitur minorem, quam pertinaciter negant Adverſarii probemus, quærimus ex iis *quid ſit peccantem præferre creaturam creatori? aut diligere eam plus quam creatorem? Item quo ſenſu ipſi dicant eum, qui mortaliter peccat diligere creaturam plus quam creatorem?*

7. Cum

7. Cum enim dicunt eum qui mortaliter peccat diligere creaturam pluſquam creatorem, vel intelligunt eum *formaliter & expreſſe* habere creaturam pro excellentiori bono, vel intelligunt eum *virtualiter & interpretative* hoc facere, id eſt, ita ſe gerere, ac ſi creatura eſſet bonum excellentius Deo, eique præferendum. Prius dici non poteſt: nam Chriſtiani fornicationem committentes conſtanter credunt Deum eſſe ſummum hominis bonum: imò ſæpe ita affecti ſunt, ut parati ſint pro Dei gloria & veræ religionis defenſione vitam ſuam & honorem, omneſque facultates periculo exponere, ſi neceſſitas ita poſtulet, ut docent Gregorius Martinez in 1*am* 2*æ* qu. 1. art. 5. dub. 2. reſponſ. ad argum. 3. & Vaſquez. in eundem articulum 5. diſp. 5. cap. 1. reſponſ. ad argum. 3. Præterea id magis confirmatur exemplo eorum qui peccant mortaliter *ex ignorantia craſſa & vincibili*, exiſtimantes ſe obſequium præſtare Deo, ut Paulus v. g. in perſecutione Eccleſiæ. Illi enim faciunt, aut ſaltem ſibi facere videntur id quod faciunt, ex vero amore erga Deum: & proinde *formaliter & expreſſe* non præferunt creaturam creatori. Dicendum igitur eſt poſterius, ut bene obſervavit Alphonſus Curiel in 1*am* 2*æ* qu. 88. art. 1. dub. 3. §. 3, viz. eos *venialiter* tantum & *interpretative* hoc facere: quia viz. propter creaturæ amorem Deum offendere ac injuria afficere audent. At qui venialiter peccat, is etiam *virtualiter & interpretative hoc facit:* quia propter creaturam Dei voluntatem & præceptum non dubitat tranſgredi, atque adeo ita ſe gerit, ac ſi creatura creatori præferenda eſſet. Nam propter creaturam tranſgredi mandatum, & contemnere voluntatem creatoris eſt ita ſe gerere, ac ſi creaturæ plus quam creatori tribuendum eſſet.

8. Reſpondent Adverſarii imparem in hac re eſſe rationem eorum qui mortaliter, & eorum qui

venialiter transgrediuntur Dei mandata propter creaturam aliquam. Idque primo quia qui venialiter peccat, is non ita præfert creaturam Deo, ut velit propter eam committere gravem offensam contra Deum, sicut facit is qui mortaliter peccat. Secundo is qui venialiter peccat non potest dici præferre creaturam amicitiæ divinæ: idque quia novit per peccata venialia non dissolvi amicitiam, quæ nobis cum Deo intercedit, sicut ea per mortalia dissolvitur. Sed hæ rationes ineptæ sunt & manifestè principium petunt.

9. Nam quod ad priorem rationem attinet, ea id supponit tanquam verum & certum, quod hic maximè in controversiam vocatur viz. peccata venialia esse simpliciter & absolute loquendo leves offensas. Nos hoc falsum esse ostendimus supra sect. 2. hujus tertiæ partis. Secundo ex hac ratione id tantum sequitur quod nos libenter concedimus, viz. eum qui peccat venialiter, non ita præferre creaturam creatori, sicut facit is qui peccat mortaliter. Sed quid hoc ad rem? nam si aliquo modo eam præfert firmum stat nostrum argumentum, & in eo concluditur eos qui venialiter peccant diligere creaturam plus quam creatorem *virtualiter seu interpretative*.

10. Quod ad posteriorem rationem attinet; qui peccata venialia committunt ex plena deliberatione, existimantes per ea non dissolvi amicitiam nostram cum Deo, vel putant ea ex se ita levia esse ut amicitiæ divinæ dissolutionem non mereantur, vel putant ea mereri quidem dissolutionem amicitiæ divinæ, Deum tamen ita gratioſè nobiscum agere, ut propter ea ab amicitia sua nos non excludat. Si putent ea non mereri dissolutionem amicitiæ divinæ insigniter errant, imo graviter peccant contra Deum pronunciando sua peccata esse levia, & figendo limites ac terminos justitiæ Dei, quasi non liceret Deo gravioribus pœnis hujusmodi peccata punire. Hujus erroris absurditas patet ex tota 2. parte hujus disputationis

tationis, & ex præcedentibus sectionibus hujus partis: & proinde hic manifeste principium petunt Adversarii, cum dicunt hæc peccata non mereri dissolutionem amicitiæ divinæ. Si vero putent ea mereri dissolutionem amicitiæ divinæ, & ex gratia Dei esse, quod illi qui ea committunt à favore Dei non excludantur, tunc sequitur eos, qui ob amorem creaturarum Deum his peccatis offendunt, præferre creaturas Deo, ejusque favori & amicitiæ. Nam qui propter creaturam aliquam facit id quod juste eum excludere possit à favore Dei, is creaturam præferre favori Dei dicendus est. Nec contemptum amicitiæ divinæ, cujus ille reus est, ullo modo excusat aut extenuat, sed contra vel maximè aggravat, quod ille sciat hæc peccata actu non excludere hominem justificatum à favore aut amicitia Dei. Cum enim ex mera & singulari Dei gratia fit quod peccata venialia non excludant peccantem à favore Dei, certè qui hac Dei clementia abutuntur ad peccandi licentiam, illi Dei amicitiam insigniter contemnere, *ejusque gratiam in lasciviam transferre* dicendi sunt.

11. Ex his argumentis, quæ ab Adversariorum effugiis sufficienter vindicavimus, patet Vasquezium nugari cum disput. 143. in 1*am* 2*æ* D. Thomæ cap. 4. num. 7. sequitur Alexandrum Alensem dicentem eum, qui peccat venialiter diligere creaturam *citra Deum*, non vero *supra Deum*, vel *æquè cum Deo*. Quamvis enim justus venialiter peccans, *habitualiter* Deum supra omnia diligat, quatenus tamen venialiter peccat creaturam Deo prefert, & proinde supra Deum diligit, ut jam probavimus. Et confirmatur ex verbis ipsius Vasquezii isto loco ubi dicit *diligere creaturam citra Deum, esse eam ita diligere, ut amor creaturæ non fit contra legem divinæ charitatis.* At amor creaturæ in peccato veniali directè repugnat *legi divinæ charitatis*, prout ab ipsis Pontificiis explicatur, ut ex eorum testimoniis supra citatis abundè patet.

SECTI-

SECTIO VI.

An peccata venialia in peccante ponant aversionem à DEO, ut ab ultimo fine?

POntificii peccatum mortale à veniali præcipuè in hoc differre arbitrantur, quod peccans mortaliter seipsum à Deo, quatenus is est ultimus finis, avertat, peccans vero venialiter, licet per peccatum quod committit quodamodo *divertatur* à Deo, proprie tamen ab eo non *avertatur*. Ut hujus dilirii falsitas appareat quædam prænotanda sunt.

2. Primo notandum est aversionem peccatoris à Deo ab adversariis distingui in *aversionem formalem*, seu *expressam*, & *virtualem*, seu *implicitam*. Aversio formalis ex eorum sententia est, quando is qui peccat expresse & formaliter vult non habere amicitiam cum Deo, & pro ultimo suo fine non habere Deum, sed creaturam. Aversio virtualis est, quando is qui peccat, etsi expresse non velit constituere suum finem ultimum in creatura potius quam in creatore, tamen hoc facit *interpretative*: hoc est, ita se gerit, quasi non creatorem, sed creaturam pro ultimo fine haberet.

3. Secundo notandum est formalem illam & expressam aversionem à Deo non inveniri in omni peccato mortali, sed tantum in odio Dei, & in peccato Atheismi, virtualem vero seu implicitam aversionem à Deo inveniri in omni peccato mortali, ex adversariorum sententia, idque quia, quicunque peccat mortaliter, is ut consequatur bonum aliquod creatum, ut v. g. temporalem voluptatem, aut utilitatem, obedientiam Deo debitam omittit. Quicunque autem hoc facit, is ita se gerit ac si bonum illud creatum magis, quam Deum diligeret: & ex consequenti denegat Deo locum

cum ultimi finis, cujus proprium est *amari supra omnia.*

4. Tertio, quia in scholis communiter dici solet eos, qui se à Deo ut ultimo fine avertunt, constituere ultimum finem in creatura, notandum est duobus modis posse aliquem constituere ultimum finem in creatura, viz. *positivè*, & *negative*. Is *positivè* constituit ultimum finem in creatura, qui diligit creaturam *ut totale & supremum suum bonum*, & omnia quæ agit in eam refert, ut in finem. Is *negativè* constituit ultimum suum finem in creatura, qui licet eam diligat solummodo *ut partiale bonum*, atque adeo eam non habeat pro summo suo bono, tamen nullo modo refert, neque referre potest eam in Deum, tanquam in finem ultimum. Qui mortaliter peccat, non constituit ultimum finem in creatura priori modo, nisi cum Atheis in eo errore sit, quod summum hominis bonum sit in voluptate, divitiis, aut in aliqua alia re creata: constituit tamen ultimum finem in creatura posteriori modo, quia illicita illa utilitas aut voluptas quam peccando acquirit, aut acquirere conatur, est quid *irreferibile* in Deum, hoc est, neque actu refertur, neque referri potest in D E I gloriam, ut in finem, quoniam D E O displicet, & est ab ipso prohibita.

5. His positis, quæritur an peccans venialiter, non minus verè & propriè, quam peccans mortaliter, avertat se à Deo *aversione virtuali?* & an finem ultimum constituat in creatura saltem *negativè?* Adversarii asserunt eum qui peccat venialiter, non averti à Deo, ut ab ultimo fine: sed nullam solidam suæ assertionis rationem in medium afferunt; imò dum hoc explicare & confirmare conantur manifestissimè principium petunt, declarando & probando obscura per ea quæ sunt æquè obscura & dubia. Nos contrà asserimus eum qui peccat venialiter verè & propriè se avertere à Deo, ut ab ultimo fine: idque probamus.

6.

6. Primo ex ipsis Adversariorum verbis, quibus describunt *virtualem illam aversionem à Deo*, quæ fit per peccatum mortale. Suarez. lib. 11. de divina gratia, cap. 3. S. 8. dicit eum, qui peccat mortaliter, *avertere se a Deo, eumque graviter offendere, & illi præferre creaturam, quia eum supra Deum diligit*: & hoc probat, quia *contra Dei voluntatem eum diligit*. Becanus parte 2. Summæ tract. 2. cap. 2. qu. 2. S. 2. de aversione eorum qui peccant mortaliter à Deo sic differit: *Ratio* (inquit) *peccati mortalis proprie consistit in aversione à Deo, vel in contemptu divinæ amicitiæ, vel in eo quod quis creaturam plus amat quam Deum. Nam hæc tria si bene explicentur, idem valent. Qui enim peccat mortaliter, v.g. qui committit adulterium, plus amat voluptatem quam Deum, quia ut voluptate frui possit, contemnit legem Dei, quæ prohibet adulterium, & hoc modo avertit se à lege & voluntate Dei ac proinde etiam ab amicitia Dei.* At hæc non minus vere dicuntur de peccato veniali quam mortali. Nam qui peccat venialiter, Deo præfert creaturam, eamque plus quam Deum diligit secundum ratiocinationem Suarezii, idque quia contra Dei voluntatem eam diligit. Item qui peccat venialiter proferendo mendacium jocosum voluptatis gratia, is juxta rationacionem Becani, plus amat voluptatem quam Deum, quia ut levi illa voluptate frui possit, *contemnit legem Dei quæ prohibet omne mendacium, & hoc modo avertit se à lege ac voluntate Dei & proinde etiam ab amicitia Dei*, supple, si Deus secundum rigorem justitiæ suæ cum eo agere vellet.

7. Secundo peccantem se avertere à Deo ac creaturam, revera nihil aliud est, quam diligere creaturam plus qam Deum. Nam qui creaturam plus quam Deum diligit, is, ut monui [Sect. 2. coronam & gloriam, quæ Deo tanquam ultimo fini & summo bono debetur, ei subtrahit & vili creaturæ imponit. Unde Vasquez. in 1am 2æ disput. 3. cap. 1 probat contra Adrianum, cum qui mortaliter pecc

peccat, avertere se a Deo, hoc præcipue argumento, *quia creatura plus quam Deum diligit.* At qui venialiter peccat propter temporalem utilitatem, ut voluptatem, is eam plus quam Deum diligit, Ergo is qui venialiter peccat, se à Deo, ut ab ultimo fine avertit. Hujus syllogismi propositio per se patet. Assumptio etiam manifesta est, partim ex sect. 2. partim etiam ex iis quæ dicta sunt sectione præcedenti, & à S. 6. ad finem.

8. Tertio, quicunque convertit se ad creaturam, & in ea finem ultimum constituit, ille avertit se à Deo, quatenus is est ultimus finis. At peccans venialiter convertit se ad creaturam, & in ea finem ultimum constituit. Ergo is avertit se à Deo. Propositio patet: quia *tota ratio aversionis à Deo est inordinata conversio ad creaturam, sicut tota ratio recessus à termino à quo est accessus ad terminum ad quem.* Probatur assumptio: quia omnis actio humana habet aliquem finem ultimum ut docet Thomas 1a 2æ qu. 1. art. 6. & per consequens illa actio quæ est peccatum veniale habet aliquem ultimum finem. At non habet pro ultimo fine Deum, quia repugnat cuilibet peccato in Deum referri. Ergo habet pro ultimo fine creaturam.

SECTIO

SECTIO VII.

An homo justificatus peccando venialiter constituat ultimum finem in creatura?

AD medium ultimum argumenti tertii superioris sectione propositi, *quod viz. peccans venialiter non referat, nec referre possit, actum suum vitiosum in Deum tanquam in finem.* sæpe respondet S. Thomas, viz, 1ª 2æ quæst. 88. art. 1. ad 2um & 3um, & 2ª 2æ quæst. 24. art. 10. ad 2um & in quæstionibus disputatis quæst. 7. de malo art. 1. ad 4um 9um & 22um. Summa responsionis est, quod objectum immediatum peccati venialis, seu creatura, quæ in peccati venialis commissione diligitur, referatur ab homine justificato ad Deum *habitualiter*, etsi non *actualiter*, idque quia peccatum veniale non excludit gratiam inhærentem ac charitatem, per quam homo justificatus habitualiter, seu per stabilem & permanentem inclinationem, se & omnia sua in Deum refert. Hoc igitur discrimen constituit inter peccatum mortale & veniale quod peccans mortaliter *neque actu neque habitualiter*, referat opus suum in Deum, seu in Dei gloriam, idque quia peccando amittit habitum charitatis, sine quo nihil in Deum referri potest; peccans vero venialiter referat opus suum in Deum *non quidem actu* (quia cum peccat nihil actu in DEUM refert) *sed habitu*, ut jam dictum est.

2. Recentiores Thomistæ variis modis conantur hanc ejus doctrinam explicare & defendere, sed operam ludunt. Quamvis enim sæpè contingat aliquem referre opus suum ad Deum habitu, quando actu illud ad eum non refert; (ut v.g. cum pius aliquis obsequium præstat parentibus nihil actu cogitans de Deo) tamen hoc nunquam accidit, nisi in operibus bonis & laudabilibus quæ ad DEUM referri possunt, neque huic relationi repugnant. At de peccatis, qualiacunque illa sunt, i.e. sive sint mortalia, sive venialia, hoc dici nequit, quia talis naturæ

sunt

sunt ut in Dei gloriam à peccante referri non possint. Unde sic argumentor: quod nunquam potest in Deum actu referri, illud male dicitur habitualiter in Deum referri. At peccatum veniale nunquam potest in Deum actu referri, quoniam ei displicet, & est ab ipso prohibitum. Ergo male dicitur habitualiter in Deum referri. Hoc argumento utuntur Vasquez. in 1am 2æ quæst. 1. art. 5. disput. 5. cap. 2. & Curiel in eundem articulum 5. dub. unico, S. 6. eoque confutant effugia Cajetani, & aliorum quibus hanc doctrinam Thomæ tueri conantur.

3. Rejecta responsione Thomæ aliter ad argutum ultimo S. præcedentis sectionis propositum respondet Vasquez loco jam citato & disput. 143. cap. 4. S. 10. Ubi revera nihil aliud docet, quam peccantem non eo modo aut eo gradu constituere finem ultimum in creatura per peccatum veniale, quo eum constituit per peccatum mortale. Hoc enim discrimen constituit inter peccatum mortale & veniale, quod amor creaturæ in peccato mortali non solum sit irreferibilis in DEUM, seu referri nequeat in DEUM tanquam in finem, sed etiam sit contrarius amori charitatis, quo DEUS à nobis ut ultimis finis diligitur propter se, amor verò creaturæ in peccato veniali licet in DEUM ut finem referri nequeat, non tamen sit contrarius DEO, aut amori charitatis, quo DEUM diligimus.

4. Hæc responsio multis nominibus tanto Theologo indigna est. Primo enim parum refert quod peccans venialiter aliter amet creaturam, quam peccans mortaliter: nam hoc non obstante peccans venialiter non minus verè & propriè constituit ultimum finem in creatura, quam peccans mortaliter, idque quia non magis potest referre suum opus in DEUM ut finem, quam peccans mortaliter. Ergò tantùm refert illud ad creaturam; & per consequens creatura est ultimus finis peccantis venialiter, qua talis est. Secundo, falsò

falso asserit Vásquez. amorem creaturæ illicitum peccato veniali non contrariari charitati, aut Deo qui esse debet ultimus finis omnium actionum nostrarum. Charitas enim à nobis exigit ut Dei legem obediamus, utq; Deum supra omnia diligamus, atque adeo ut nullum bonum creatum Deo ejusque voluntati præferamus. At qui peccat venialiter, legem divinam transgreditur, ut patet ex sect. 3. & 4. hujus partis, & vilem creaturam Deo ejusque voluntati præfert, ut probatum est sect. 5. Tertio, ratio quam Vásquez. affert cur amor illicitus creaturæ in peccato veniali non repugnet Deo aut charitati, cum dicit eum non excludere, aut expellere habitus charitatis, & gratiæ, quibus in Deum habitualiter dirigimur & ordinamur, (hoc est, secundum eorum mentem non mereri privationem gratiæ, & charitatis) hæc inquam ratio valde inepta & ridicula est.

5. Primo enim est nugatoria principii petitio. Nam id sumit & supponit quod præcipuè hic in controversiam vocatur, viz. peccatum veniale tam leve esse, ut non mereatur puniri privatione gratiæ. Secundo manifestè hic circulus committitur. Probat enim Vásquez peccatum veniale ex se & sua natura tale esse, seu tam leve esse, ut non mereatur privationem charitatis & gratiæ, quia homo per illud non avertitur à Deo, nec constituit suum finem ultimum in creatura, sicut facit per mortale peccatum. Et rursus probat per peccatum veniale hominem non averti à Deo, nec constituere finem ultimum in creatura, quia hoc peccatum non excludit charitatem (seu non meretur privationem charitatis) qua in Deum habitualiter dirigimur & ordinamur. Tertio ex eo quod charitas, qua habitualiter in Deum referimur & ordinamur, maneat in piis venialiter peccantibus, hoc tantum sequitur pios, quatenus prædi-ti sunt habitu charitatis, habitualiter in Deum referri: non vero sequitur pios, quatenus venialiter peccant, habitualiter in Deum referri. Nam sicut ipsum peccatum veniale nullo modo in Deum

tanquam

anquam finem refertur, ita etiam peccans venialiter, ua talis est, nullo modo in Deum refertur: ua enim talis est, Deo aliquo modo displicet, & egem Dei transgreditur. Non obstante igitur habiuali ratione aut ordinatione hominis pii ad Deum, ut ad finem ultimum per habitum charitatis, fieri otest ut actu per peccatum veniale avertatur ab eo, & convertatur ad creaturam tanquam ad finem ltimum, loquendo de fine ultimo *negativè* sic dicto.

6. Alphonsus Curiel in 1*am* 2*æ* qu. 1. art. 5. dub. unico, S. 6. percipiens ut videtur, infirmitatem responsionis Vasquezio allatæ, aliam excogitavit. Nam ad illationem illam, qua in tertio argumento præcedenti sectione proposito usi sumus, dicentes peccatum veniale non habere Deum pro ultimo fine, & per consequens pro ultimo fine habere creaturam; respondet negando consequentiam. Putat enim dari medium inter Deum ut ultimum finem, & creaturam ut ultimum finem, viz. *beatitudinem in communi*, seu, ut ipsius verbis utar, *bonum satiativum appetitus nostri*. Unde de homine justo seu pio peccante venialiter sic scribit: *Nam* (inquit) *quamvis operatio seu actio, quæ est peccatum veniale quantum est ex intentione operantis, non habeat pro ultimo fine Deum, non sequitur quod habeat pro ultimo fine creaturam, quia satis est quod habeat pro ultimo fine bonum satiativum appetitus ipsius justi.*

7. Ut hoc effugium Alphonsi Curielis confutemus, notandum est primo eum hic non loqui de fine peccati venialis in genere, seu in quocunque subjecto, sed tantum de fine peccati venialis ab homine justo commissi. Secundo notandum est duplicem esse finem ultimum viz. *finem ultimum formalem & finem ultimum materialem*. Finis ultimus *formalis* est communis seu generalis notio beatitudinis, vel ut alii loquuntur, est ratio beatitudinis in communi. Finis ultimus materialis est illa res in particulari in qua, illa ratio beatitudinis

dinis invenitur. V. g. hæc ratio beatitudinis secundum rei veritatem in solo DEO invenitur. At secundum hominum æstimationem multoties etiam in creaturis invenitur. Tertio notandum est unumquemque hominem propter finem ultimum formalem, id est, beatitudinem in communi apetere ea omnia quæ appetit, & facere omnia quæ facit, sive sint bona & licita, sive mala & illicita. Semper enim id nostris actionibus nobis proponimus, ut melius nos habeamus, & proinde ut ulteriores progressus faciamus in adeptione *boni satiantis appetitum nostrum*. At longe alia est ratio finis ultimi *materialis*. Non enim habent omnes in omnibus suis actionibus unum & eundem finem materialem sibi propositum: sed alii in creatore, alii in creatura aliqua eum constituunt. Hanc observationem tradit Thomas 1a 2æ quæst. 1. artic. 7. estque ab omnibus recepta.

8. His positis Curielis [illegible] confutamus. Primo finis ultimus peccati venialis ab homine impio seu irregenito commissi est creatura; ut omnes fatentur. Ergo etiam finis ultimus peccati venialis ab homine pio commissi. Nam eadem est natura utriusque. Nec refert quod in homine pio sit habitus charitatis, qui possit dirigere ejus actiones in alium finem. Nam, ut notat ipse Curiel loco citato, charitas ea sola potest referre in DEUM, quæ in eum sunt referibilia. At peccatis venialibus repugnat in DEUM referri, ut ipse etiam ibidem fatetur. Secundo qui peccat mortaliter pro fine ultimo habet beatitudinem in communi, ut patet ex observatione tertia, & ex doctrina Thomæ loco illic citato: & tamen hoc non obstante dicunt Theologi eum constituere sibi finem ultimum in creatura. Ergo idem dicendum est de peccante venialiter, qua talis est. Ratio consequentiæ est quia peccans mortalitet dicitur constituere sibi finem ultimum in creatura, non quod creatura, quam in quoli-

nolibet peccato mortali diligit, sit ei finis ultimus *positivè*: hoc enim est impossibile; sed quod sit ei finis ultimus *negativè* (scilicet quia nullo modo eam referre potest in DEUM ut in finem ultimum) juxta distinctionem à me propositam sectione præcedenti S. 4. At peccans venialiter hoc modo constituit finem ultimum in creatura, ut ipse Curiel non solum docet, sed & efficaciter probat. Dicendum igitur est peccantes venialiter, qua tales sunt, non minus vere & propriè quam peccantes mortaliter pro fine ultimo *formali* habere *beatitudinem in communi* & pro fine ultimo *materiali* habere *creaturam*. Nullum enim alium finem materialem habere possunt peccantes venialiter, ut ex dictis patet.

9. Respondet Curiel, imparem tamen esse rationem peccantium mortaliter & peccantium venialiter: Idque quia peccantes mortaliter non solùm non possunt referre creaturam quam diligunt in Deum, sed etiam, quantum est ex parte affectus sui, aut, ut alii dicunt, interpretative, præferunt creaturam, quam diligunt DEO, quod de peccantibus venialiter hîc dici non potest. Hæc responsio sectione 5. confutata est. Nam in ea probavimus etiam peccantes venialiter interpretativè præferre creaturam propter quam peccant DEO, quia viz. propter eam DEI voluntatem contemnunt, ejusq; mandatum transgredi non dubitant. Ibidem etiam ulteriora effugia Curielis, quibus hanc responsionem explicare & confirmare conatur confutavimus. Præterea hæc responsio Curielis difficultatem non exhaurit. Cum enim peccans venialiter pro fine *materiali*, seu pro re, in qua fœlicitatem quandam temporalem quærit, habeat creaturam, cumque creatura illa illicite ab eo appetita nullo modo ad ulteriorem finem materialem, id est, ad DEUM referatur, ut concedit Curiel, necessario sequitur illam creaturam esse ultimum ejus finem materia

terialem: unde patet verum esse id, quod supra diximus omnes peccantes, sive mortaliter, sive venialiter peccent, pro fine ultimo *formali habere* beatitudinem in communi, & pro fine ultimo *materiali* habere creaturam.

10. Alia etiam effugia excogitarunt Suarez & Martinez: Nam Suarez. lib. 11. de divina gratia, c. 3. S. 2. & 17. putat hominem justum peccantem venialiter etsi pro fine materiali, neque habeat Deum neque aliquid ad Deum referribile, non posse tamen dici constituere finem ultimum in creatura idque quia aut non perfecte deliberat prout necessarium est ad constituendum sibi finem ultimum, vel materia peccati (seu id in quo peccatur) est adeo levis, ut mortaliter non figat cor suum & amorem in illa divino amori illam formaliter aut virtualiter praeferendo. *Nemo enim* (inquit) *censetur moraliter loquendo rem levem & parvi momenti ita diligere.* Hic Suarez duas rationes affert, cur peccans venialiter dici nequeat constituere finem ultimum in creatura. Una est quia non plene & perfecte deliberat: secunda est quia creaturam, quam pro fine habet, non amat ita vehementer, ut possit dici cor suum & amorem in eo figere, aut eum Deo vel virtualiter praeferre. Sed prior ratio locum non habet in omnibus peccatis venialibus, sed in iis solummodo, quæ dicuntur venialia *ex subreptione*, seu *ex indeliberatione* & proinde hac ratione non obstante, de reliquis peccatis venialibus verum erit id, quod hic asserimus viz. hominem ea committendo finem ultimum in creatura constituere. Posterior vero ratio plane inepta est, quia ex ea sequitur etiam illos qui peccant mortaliter, qua tales sunt, non semper constituere finem ultimum in creatura. Nam sæpe homines mortaliter peccant in ea re quam non multum diligunt, imo à qua maxime abhorrent ut v.g. cum is qui homicidium maxime detestatur, ex subita ira, aut ex vincibili ignorantia homicidium committit. Denique, quicunque ex plena deliberatio-

ne

in re leviſſima peccat, is creaturam Deo virtualiter & interpretative præfert, ut patet ex iis quæ ſupra dicta ſunt, ſect. 5.

11. Gregorius Martinez in 1 *am* 2æ qu. 1. art. 5. ub. 1. reſp. ad object. 9. tribus reſponſionibus armento noſtro occurrit. Primo dicit actum peccati venialis ab homine juſto commiſſi in Deum ut nem referri *habitualiter*, etſi *non actualiter*. Sed æc reſponſio initio hujus ſectionis confutata eſt. Secndo dicit actum peccati venialis referri in Deum cundum communem rationem *boni* aut *delectabilis*, cet non ſecundum particularem rationem *ſummi lectabilis*, aut *ſummi boni*, At quid eſt in Deum ſecndum rationem communem *delectabilis* referri? d hanc queſtionem ipſe repondet, ſcribens in artilum 6. prædictæ quæſtionis dub. 3. ſub finem: *ccator* (inquit) *& dæmon etiam in ſuis peccatis, eum querunt, conſiderando Deum ſecundum communem rationem boni. Plenitudo enim bonitatis in nullo io qaam in Deo reperitur: quærendo ergo bonum in mmuni dicuntur implicite quærere Deum.* Et initio nſdem dubii citat Thomam dicentem, *in omni bono petit ſummum bonum, eo quod ſit quædam participo ſummi boni, quod eſt Deus.* At hoc ſenſu non ſom peccatum veniale, ſed etiam mortale in Deum fertur, ut ibidem expreſſe docet Martinez, & per patet: nam peccans mortaliter pro fine habet onum in communi, ut ſupra monui. Nemo autem o hoc negat peccantem mortale conſtituere finem ltimum in creatura. Ergo neque ob hoc negandum ſt peccantem venialiter conſtituere finem ultimum creatura. Tertio dicit hominem juſtum, ſeu fidem, peccantem venialiter tendere in Deum & in eaturam, propter quam peccat: ut in duos ultimos nes adæquatos, & non ſubordinatos, ſed in Deum *ficaciter & abſolute, in creaturam vero inefficaciter, nperfecte & ſecundum quid*: idque quia per habium charitatis in eo permanentem præcipue reſpicit eum, ut ſuum ultimum finem. At primo ſi peccans venialiter

venialiter aliquo modo respicit creaturam ut finem tunc aliquo modo constituit finem ultimum in creatura, & sic habemus propositum. Secundo quamvis ipsa persona quæ peccat venialiter habitualiter tendat in DEUM, ut in finem, propter habitum charitatis in ea manentem, tamen ipse actus peccati venialis ab ea commissi nullo modo in Deum tendit ut in finem, quia nullo modo ad Deum referri potest. Ergo peccans venialiter, qua talis est, nullo modo in Deum refertur, ut in finem, sed pro fine ultimo habet creaturam. Tertiò per accidens, & ex mera Dei gratia est, quod habitus charitatis non auferatur ab homine peccante venialiter. Nam omne peccatum, secundum iustitiæ rigorem, meretur ablationem charitatis, ut supra probavimus. Quartò si Deus in homine peccante mortaliter, conservaret habitum charitatis (quod est possibile etiam ex Adversariorum sententia, ut monuimus supra, parte 2. sect. 7.) tunc peccans mortaliter tenderet in Deum habitualiter, & tamen hoc non obstante, simplicite & absolutè diceretur constituere finem ultimum in creatura. Ergo idem dici potest de peccante venialiter, etiamsi in eo maneat habitus charitatis.

APPE

APPENDIX

DE

Possibilitate implendi legem Dei considerata secundum ὁμοίωσιν Euangelicam.

IN QUA

Quæ utilissimæ quæstiones tractantur & explicantur. Prior est, An Deus sub fœdere gratiæ eam mandatorum suorum observationem, quæ nobis simpliciter impossibilis est, stricte & præcise, ut necessariam ad salutem exigat? Posterior est, An ex nostra doctrina de culpabili bonorum operum imperfectione sequatur justificatos nullam partem legis implere, seu nullum bonum opus facere?

SECTIO PRIMA.

An ea legis observatio, quam Deus nunc sub fœdere gratiæ, ut præcise necessariam ad salutem, exigit, sit nobis possibilis?

Assertio prima: *Ea legis obedientia, quam fœdus operum, seu lex secundum rigorem suum considerata, à nobis exigit, ut præcise necessariam ad salutem, neque per naturæ vires* (ut olim sentiebant Pelagiani) *neq; per ordinaria gratiæ auxilia* (ut hodie docent Pontificii) *nobis est possibilis.* Patet hoc, ut ex multis aliis argumentis,

tis, ita etiam ex impossibilitate vitandi peccata venialia, quam adversarii communiter agnoscunt. Ea enim vere esse contra DEI legem, contra finem legis, id est, Charitatem, & contra præcepta quorum observatio ex rigore justitiæ ad vitæ æternæ consecutionem necessaria est, secunda & tertia parte hujus disputationis fusè contra omnia Adversariorum effugia demonstravimus.

2. Assertio secunda: *Ea legis obedientia quam Euangelium, seu fœdus gratiæ, à nobis ut præcisè necessariam ad salutem exigit, per ordinariæ gratiæ auxilia nobis est possibilis; imo omnia Dei mandata, sive legalia, sive Euangelica, sigillatim ex ea parte impleri possunt, ex qua à Deo nunc proponuntur ut stricte & præcisè obligativa sub periculo & pœna damnationis æternæ.* Hanc assertionem expresse tuentur multi iique magni nominis Doctores Euangelici, viz. Mortonus in appellat. Protest l. 5. c. 12. sect. 4. ubi *Euangelicam mandatorum divinorum observationem*, hoc est, *obedientiam illam imperfectam, quæ in CHRISTO gratiosè à DEO acceptatur, esse possibilem*, & doctrinam eorum, qui hoc negant, *ex communi Patrum & Euangelicorum sententia esse hæreticam opinionem* affirmat; Davenantius de justitia actuali cap. 51. ubi dicit DEUM *omnia dare* (id est vires faciendi omnia subministrare) *quæ secundum fœdus Euangelium necessario pertinent ad obtinendam salutem; & tamen non dare in hac vita possibilitatem implendæ legis*, intellige, secundum rigorem ipsius: & insignis ille orthodoxæ fidei propugnator Franciscus Whitæus in Replic. ad Fischeri Jesuitæ Responsionem p. 524. ubi adversario objicienti DEUM non exigere à nobis impossibilia, sic respondet: *Si Jesuita loquatur de actionibus & officiis simpliciter ad salutem necessariis, DEUS, (ut in CHRISTO & per Euangelicæ misericordiæ speculum nos respiciens) non exigit à filiis suis impossibilia.* & pag. 533. *Non credimus* (inquit) *DEUM in Euangelico fœdere severe à nobis quicquam exigere, ut necessarium*

a

d salutem, quod per gratiæ adjutorium præstare non ossumus.

3. Ab his revera non dissentiunt reliqui Scri-tores nostri, quamvis pauci ex iis aperte hoc as-rant. Docent enim nos per CHRISTUM beratos esse à lege morali, quatenus est *lex dam-ans*, seu à damnatione & maledictione legis. uæ liberatio duo insignia beneficia, seu duas spe-ales, & ratione saltem distinctas liberationes, ex heologorum sententia, complectitur. Viz. 1. Li-erationem à damnatione, cui obnoxii fuimus ob eccata præterita: 2. Liberationem à damnatione, i obnoxii esse possumus, imo necessario, secluſa atia Euangelica, futuri sumus, ob obedientiæ in osterum præstandæ imperfectionem Unde magnus e Calvinus lib. 2. Institut. cap. 7. S. 15. *Solvi ergo s à vinculis oportere docet Apostolus, nisi velimus sub is misere perire. Sed quibus vinculis? illius austeræ infestæ exactionis, quæ ex summo jure nihil remittit, c transgressionem ullam impunitam finit.* Nam ut ibi-em verbis præcedentibus monet hic Author, *non lum docet lex, sed imperiose exigit quod mandat. Si n exhibeatur, imo si qua in parte ab officio cessetur, aledictionis fulmen stringit.* Similiter Polanus Syn-g. Theolog. lib. 6. cap. 10. in disputat contra An-nomos respons. ad object. 8. dicit. *Christianos à sub-ctione legis redemptos esse, non simpliciter, quasi nul-am amplius obedientiam legi debeant, sed secundum uid, nempe quatenus non amplius tenentur perfectissi-e implere legem DEI, quam CHRISTVS pro ipsis implevit.* Et cap. 38. ejusdem libri. *Libertas* (in-uit) *à jugo legis moralis duplex est: nempe tum à ecessitate implendi legem perfectissime in hac vita, ac roinde etiam à rigidissima, & severissima illa exacti-ne perfectissimæ obedientiæ in hac vita præstandæ ad btinendam vitam æternam, tum à maledictione*, &c. ificator etiam in Aphorismis doctrinæ Christianæ oco 8. qui est de lege DEI, Aphoris. 15. *Fideles legis tum maledictione, tum rigore seu rigida exacti-*

one, per CHRISTVM esse liberatos affirmat: & in exegesi istius Aphoris. asserit Joannem cum dicit *mandata DEI non esse gravia*, loqui de liberatione fidelium *à rigore legis*. Vide etiam Zanchium tom. 4. cap. 28. de legis abrogatione, Bucanum loco 33. quæst. 8. Rivetum in Synopsi purioris Theologiæ disp. 35. th: 13. Amesii Bellarminum enervatum tom: 4. lib: 6. cap. 5. sub finem.

4. Ex hîs patet doctrinam à me propositam asserit. 2. de obedientia legis, esse communiter in Ecclesiis nostris receptam. Docent enim nos liberatos esse per Christum à necessitate implendi legem perfectè, sub pœna damnationis: nec tamen putant nos simpliciter liberatos esse à necessitate obediendi legi divinæ, etiam sub pœna damnationis. Nam agnoscunt bona opera ad salutem esse omninò necessaria, nullumque æternam damnationem vitare posse, nisi *sectetur sanctimonium, sine qua DEVM nemo videbit* Hebr: 12. 14. Ergo sentiunt nos strictè & præcisè sub periculo æternæ damnationis ad eam solam obedientiæ mensuram, quæ nobis per gratiam ordinariam est possibilis, obligari.

5. Idem etiam patet ex multis aliis nostræ doctrinæ capitibus. Docent enim nostri Theologi eam perfectionem, quam Deus in Scripturis, Gen: 17. 1. Mat. 5. 48. Coloss. 1. 28. 2 Tim: 3. 17. ut necessariam ad salutem ab omnibus requirit, *esse perfectionem non graduum, sed partium*: & hanc non solum esse possibilem, sed etiam fideles eam actu assequi fatentur. Unde clarissimus Paræus in Bellarm. l. 4. de Just. c. 11. respons: ad secundum genus testimonium, *in locis* (inquit) *allegatis, quæ perfectionem aliquibus tribuunt, vel ab omnibus requirunt, perfectio intelligitur, non gradeum, sive is obedientiæ gradus, quem legis ἀκριβεια requirit, sed perfectio partium, hoc est verum studium obediendi DEO, & repugnandi cupiditatibus, atque initium obedientiæ secundum omnia Dei mandata.* Similiter docent nostra bona opera quamvis sint imperfectè bona Deo placere in Christo: &

proinde

roinde eam obedientiam quam legi præstamus gratiosè à Deo acceptari, quasi esset absolutè perfecta. Vide Ursini explicationes Catecheticas parte 3. loco de bonis operibus, quæst. 4. & Paræum lib. 4. Bellarmini de Justif. cap. 15. respons. ad testimonium 7. ubi sic scribit: *Placere tamen Deo dicuntur fidelium opera in throno misericordiæ, propter Christum ita acceptanti, non quod in se sint absolutè bona, sed accepta habet quasi talia; quia sunt filiorum obsequia.* Cum igitur obedientia ea, quam DEUS gratiosè acceptat, sit necessaria, & secundum fœdus gratiæ sufficiens ad salutem, cumque obedientia ea, quæ nobis per spiritus S. auxilium est possibilis, ex nostrorum Theologorum sententia, à Deo gratiosè acceptetur, manifestè sequitur eam obedientiæ mensuram, quæ nobis per spiritus S. auxilium est possibilis, ex nostrorum Theologorum sententia esse sub gratioso hoc fœdere sufficientem ad salutem.

6. Sed quid ego in citandis hominum testimoniis diutius moror? res ipsa de qua loquor ex Scripturis plana & perspicua est. Primo enim Christus Matth: 11. 30. *jugum suum esse facile, & onus suum esse leve* dicit: quod non de lege secundum rigorem suum considerata, ut somniant Pontificii, sed de Euangelio, seu fœdere gratiæ, intelligendum est, ut nostri Theologi passim docent. At jugum Euangelii non esset facile si nullam poenam salutis proponeret nisi sub conditione impossibili, hoc est, sub exactissimæ mandatorum obedientiæ conditione. Item Joannes 1 Epist: c. 5. v. 3. dicit *mandata DEI non esse gravia.* At gravia essent si strictè & præcisè perfectam obedientiam exigerent à nobis qui eam præstare non possumus. Unde Beza in locum ex Matth. 11. citatum notat jugum Christi esse facile, *quia facile ferri potest. Nam* (inquit) *mandata ejus gravia non sunt.* 1 Joan. 5. 3.

7. Secundò Scriptura salutem æternam *ambulantibus*

tantibus secundum Spiritum promittit, Rom: 8. 1, & 13. At illi qui imperfectam & Euangelicam hanc obedientiam præstant secundum spiritum ambulant, ut ex locis citatis patet. Ergo iis salus æterna promissa est, & per consequens ad salutem consequendam exacta obedientia non est iis necessaria.

8. Denique hoc evidentissima ratione demonstrari potest. Vel enim dicendum est nullam legis obedientiam nunc esse ad salutem necessariam, vel dicendum est perfectam legis obedientiam esse nunc necessariam ad salutem, vel denique dicendum esse eam obedientiæ mensuram, quæ per gratiam ordinariam est possibilis esse necessariam & secundum gratiosum DEI fœdus sufficientem ad salutem. Ex his tribus primum dici non potest, quia sic nulla esset necessitas bonorum operum: nec secundum, quia sic nulla esset spes salutis iis qui legem perfectè non implent. Ergo dicendum est tertium, viz. eam obedientiæ mensuram, quæ per gratiam est possibilis et nunc necessariam & sufficientem ad salutem.

9. Dicet aliquis secundum membrum illius disjuncti esse verum, nec ex eo sequi illud incommodum, quod in ejus confutationem adfertur, idque quia obedientiæ ab electo aliquo præstitæ imperfectio suppletur per exactissimam Christi obedientiam ipsi imputatam, & sic illi ad damnationem non imputatur. Respondeo: si id quod deest obedientiæ ab eo præstitæ suppletur per Christi obedientiam imputatam, habemus quod volumus, viz. id quod obedientiæ ejus deest non exigi ab eo ut necessarium ad salutem, seu ut necessariò ab eo in propria sua persona præstandum. Ut igitur omnia hujusmodi effugia contra sentientibus præcludamus, sic argumentum nostrum proponimus: Præter sanctitatem seu justitiam Christi nobis imputatam requiritur ab à nobis ipsis vera & realiter in propriis nostris personis præstanda, ut necessaria ad salutem, requiritur inquam, non sub meriti aut satisfactionis, sed sub gratitudinis & novæ obedientiæ ratione, Luc. 1

v. 2

v. 28. Joh. 13.17. Heb 12. 12. At hæc obedientia quæ à nobis ipsis sic præstanda est ut necessaria ad salutem, non est perfecta illa obedientia quæ legi exactè satisfacit: sic enim nullus æternam vitam consequeretur. Ergo hæc obedientia quæ à nobis ipsis præstanda est ut necessaria ad salutem, est obedientia illa imperfecta, quam Deus gratiosè acceptat, quæque nobis per gratiam est possibilis.

10. Dices primò, posse aliquem salutem consequi, quamvis non præstet obedientiam illam, quæ nunc requiritur ut necessaria ad salutem: idque quia quamvis gravia & horrenda peccata committat, potest tamen pœnitentiam agere, & sic salutem consequi. Respondeo primo: contradictionem implicat dicere aliquem servari posse absque illa obedientia quæ ad salutem necessaria est. Secundò justificatus in gravia peccata prolapsus salvari non potest, quamdiu in eo statu manet. Nam cum peccatum mortale committimus, tunc non *secundum spiritum ambulamus*, sed aberramus à via illa quæ ad salutem ducit, & ingredimur *spatiosam viam quæ in exitium adducit*: & per consequens, si progrediamur in ea ad vitæ finem, necessario peribimus. Absit autem ut hoc de homine justificato peccante venialiter dicamus. Cum enim nostra fides, pœnitentia, & bona opera iis nævis, quæ verè peccata, sed in electis per D E I gratiam venialia sunt, commaculentur, cumque credendo, pœnitentiam agendo, & bona opera faciendo secundum spiritum ambulemus & in arcta illa via, quæ ad salutem ducit progrediamur, non solum possumus in eo statu manere, & salutem consequi: sed etiam necesse est ut in eo statu, hoc est, in statu justitiæ imperfectæ, & peccatorum venialium (quæ vitare conamur sed non possumus) commixtione maculatæ perseveremus, modo salutem consequi velimus. Non quod hæc justitiæ imperfectio ad salutem utilis aut necessaria sit: nam è contrario planè inutilis, imò damnosa & secundum rigorem justitiæ mortifera est; sed quia durante hac vita ab ea plenè

liberari non possumus, seu quod eodem redit, quia hæc imperfectio est inseparabilis conditio justitiæ illius in qua perseverare tenemur. *Nam hic ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: postquam autem advenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est, abolebitur.* 1 Cor. 13.9,& 10.

11. Dices secundo: nullus sanctorum assequi potest eam obedientiæ perfectionem ad quam assequendam sufficientes gratiæ vires à Deo concessas habet. Omnes enim pii fatentur, se potuisse plura bona opera facere, quam actu fecerunt, & plura peccata vitare, quam actu vitarunt. Ergo etiam sub fœdere gratiæ obligamur ad plus præstandum quam præstare possumus. Respondeo primo: contradictionem implicat dicere aliquem absolutè id præstare non posse, ad quod præstandum sufficientes gratiæ vires habet. Secundo non solum illi defectus obedientiæ nostræ qui *physice* inevitabiles sunt, hoc est, quos neque naturæ, neque gratiæ viribus vitare possumus, sed etiam illi qui *moraliter* inevitabiles sunt, hoc est, qui non nisi summa cum molestia & difficultate vitari possunt, si in re leviori accidant, sique in nobis sit verum & sincerum studium eos vitandi, ex Dei gratia & misericordia nobis sunt veniales: & proinde non obligamur strictè & præcisè ad eos vitandos sub periculo æternæ damnationis.

12. At (inquies) si verum & sincerum studium eos defectus vitandi adhibuissemus, eos actu vitasse mus. Respondeo: id non sequitur. Nam in piis studium aut conatus bene agendi sibi adjunctam habet debilitatem quandam mentis & voluntatis ad constanter operandum, ex qua sæpe accidit ut opus aliquod, v: g: oratio, magna cum attentionc & fervore inchoetur, & paulo post ex negligentia, culpabili quidem, sed per DEI gratiam veniali, vana cogitatio irrepat, iterumq; statim rejiciatur, & sic opus illud debito modo continuetur,

SECT:

SECTIO II.

An bona renatorum opera, ex Euangelicorum sententia, sint peccata mortalia? & an simpliciter ac absolute sint peccata?

UT posteriori quæstioni supra propositæ plenè respondeam, doctrinam nostrorum Theologorum de nævis, qui bonis nostris operibus adhæresc unt, tribus assertionibus breviter, sed perspicuè proponam.

2. Assertio prima: *Quamvis bona renatorum opera, simpliciter & absolute ex nostrorum Theologorum sententia, peccata essent, non tamen inde id sequeretur, quod Adversarii ex nostra doctrina colligunt, viz. omnia renatorum bona opera esse peccata mortalia.* Ratio est: quia quamvis nostri Theologi doceant omnia peccata esse ex se, & sua natura, mortalia, non tamen docent omnia peccata secundum administrationem providentiæ divinæ in iis puniendis sub fœdere gratiæ esse mortalia; sed contrà leviores renatorum offensas esse peccata per Dei gratiam & misericordiam venialia affirmant: & inter leviores renatorum offensas nævos, qui bonis renatorum operibus adhærescunt, expresè connumerant, ut patet ex parte 1. hujus Disputationis, sect. 2. parag. 11.

3. Assertio secunda: *Bona renatorum opera, ex nostrorum Theologorum sententia, non sunt simpliciter & absolute loquendo peccata, sed tantum secundum quid & quodam respectu.* Ratio est: quia habent omnia, quamvis non perfectè & in summo gradu, quæ ad moralem actionis bonitatem essentialiter requiruntur. Sunt enim bona 1. *quoad objectum*, quia versantur circa rem licitam & lege divina præscriptum. 2. *quoad principium*, quia fiunt ex fide, & vero DEI amore. 3. *quoad finem*, quia ad DEI gloriam referuntur. Et 4. *quoad circumstantias*, quia debitæ circumstantiæ in iis faciendis observantur.

Dicuntur tamen mala & peccati labe aspersa secundum quid, & quodam respectu, quia quædam ex his requisitis non iis insunt eo perfectionis gradu, quo secundum rigorem legis inesse debent. v. g. quamvis fiant ex fide & charitate, non tamen fiunt ex fide simpliciter & absolutè firma, nec ex charitate cum fervorem habente, quem lex requirit.

4. Nam charitas nostra non tantum imperfecta est *comparatè*, seu respectu charitatis quam in patria habituri sumus, ut somniat Bellarminus lib. 4. de justif. cap. 17. sed etiam *absolute*, *in se & culpabiliter* imperfecta est, ut patet tum ex rigore illius præcepti *diliges DOMINVM DEVM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua*, tum ex manifestissimo Augustini testimonio, qui epist. 29. ad Hieronymum sic scribit. *Plenissima charitas quæ non possit augeri, quamdiu hic homo vivit, est in nemine. Quamdiu autem augeri potest, profectò illud quod minus est, quam debet, ex vitio est: ex quo vitio non est justus in terra, qui faciat bonum & non peccet: ex quo vitio non justificabitur in conspectu DEI omnis vivens: propter quod vitium quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere, demitte nobis debita nostra.*

5. At dicet aliquis: Si nostris bonis operibus deest aliquid, quod ad eorum perfectionem lex requirit, sunt simpliciter mala, & nullo modo bona. Nam actio bona esse non potest nisi in se habeat omnia quæ ad bonitatem moralem actionis requiruntur, juxta illud Dionysii dictum, quod in Scholis celebre est. *Bonum est ex integra causa; malum ex quovis defectu.* Respondeo: non potest actio esse moraliter bona, & à Deo acceptabilis sub ratione veræ & filialis obedientiæ, nisi omnia requisita habeat *in specie*, seu *in aliquo gradu*, potest tamen esse isto modo bona, quamvis non habeat omnia *in summo perfectionis gradu*, quem lex divina requirit. Et hoc sensu verum est illud, *Bonum est ex integra causa.* Illud autem quod sequitur *malum est ex quovis defectu*,

non

non de *defectu graduali*, sed de *defectu specifico* intelligendum est. Est autem *defectus specificus*, *seu essentialis*, quandò aliquid ex requisitis ad bonitatem moralem actionis, nullo modo, seu in nullo gradu actioni inest; ut v.g. cum non procedit ex debito principio, aut non refertur in debitum finem. Defectus gradualis est, cùm omnia requisita insunt actioni *secundum speciem*, etsi non secundum eam *perfectionem individualem*, quam lex secundum rigorem suum considerata requirit: ut v. g. cùm actio procedit ex debito principio, sed minus perfecto, aut cum refertur ad debitum finem, sed non cum tanta intentionis puritate & perfectione, quantam lex ex rigore justitiæ requirit. Actus priori modo defectuosus ita est malus, ut simpliciter bonus esse non possit. At si posteriori tantum modo defectuosus sit, verè & propriè, licet imperfectè bonus est, ut ex confirmatione assertionis tertiæ magis patebit.

6. Tertia assertio: potest actus aliquis vere bonus & DEO secundum fœdus gratiæ nobiscum agenti gratus esse, quamvis imperfectè bonus & aspersione aliqua peccati commaculatus sit. Hanc assertionem oppono durissimæ & rigidissimæ quorundam Pontificiorum assertioni, qua nullum actum peccati labe aspersum seu culpabili defectu laborantem, posse bonum actum appellari, aut DEO gratum esse affirmant. Vide Vasquezium in 1*am* 2æ disput. 70. Vegam in Concil. Trident. lib. 11. cap. 27. Becanum in Summa, parte 2. tract. 1. cap. 5. quæst. 3. Bellarminum lib. 4. de justif. cap. 17. & Suarezium lib. 12. de divina gratia, cap. 4. S. 6. & sequentibus, Hi enim assertionem illam mordicus tuentur, sed contra manifestissimam veritatem, ut ex sectione sequenti patebit.

SECTIO

SECTIO III.

An bonitas & malitia moralis in uno & eodem actu sint compossibiles?

SEntentia nostra de conjunctione aut compossibilitate bonitatis & malitiæ mortalis in eodem actu immerito ab Adversariis, ut nova & absurda damnatur.

2. Primo enim Augustinus loco citato sectione præcedenti aperte asserit charitatem nostram, quæ verè & propriè virtus est, defectu culpabili laborare, & Gregorius moralium lib. 35. cap. ultimo, dicit *mala nostra*, id est, peccata *esse pura mala*, *& bona nostra opera nequaquam posse esse pura bona.*

3. Secundo, quidam Theologi Pontificii non solum putarunt *defectum gradualem*, de quo solo nos hic ab Adversariis dissentissimus, sed etiam *defectum specificum* bonæ intentionis, aut debitarum circumstantiarum, cum bonitate morali actionis consistere posse. Nam Jacobus Almainus tract. 1. moralium, cap. 12. & cum eo recentiores quidam Pontificii, unum & idem opus exterius propter duos fines, unum bonum alterum malum, ad quos refertur, posse esse simul bonum & malum docuerunt. Willelmus de Bello monte (ut refert Almainus loco citato) existimavit non solum idem opus exterius, sed etiam eundem actum interiorem voluntatis posse esse ex diverso fine simul bonum & malum; hoc est, ex uno fine ad quem refertur bonum, & ex alio malum. Cajetanus tom. 2. opusc. respons. 13. eundem actum voluntatis posse simul esse bonum ex objecto, & malum ex fine, vel aliqua alia circumstantia & proinde in eodem actu posse simul conjungi bonitatem & malitiam moralem affirmavit.

4. Tertio, Vasquez, Suarez, & Becanus licet Almaini, Cajetani & aliorum sententiam de compossibilitate

litate bonitatis & malitiæ moralis in eodem actu damnent, aperte tamen fatentur hominem aliquem eodem momento quo uno actu opus bonum facit, posse alio actu peccare venialiter, & proinde bonitatem & malitiam moralem esse compossibiles in eodem subjecto, & in eodem temporis momento, quamvis non in eodem actu. Vasquez. loco supra citato, id est, disputat. 70. in 1*am* 2*æ* cap. 3. dicit, *opus misericordiæ, quod quis ex vero virtutis fine exercet,* retinere suam bonitatem moralem, *quamvis occasione illius operis subrepat quidam inanis gloriæ, aut superbiæ affectus.* Item *posse esse in eodem homine actum charitatis & cujuscunque alterius virtutis ex vero fine virtutis cum actu inanis gloriæ, aut alterius peccati venialis,* Becanus parte 2. Summæ tract. 1. cap. 5. qu. 3. S. 2. & 17. scribit *voluntatem moriendi pro Christo non ideo esse nullius meriti aut dignitatis, quod ad illam levis intentio vanæ gloriæ accedat.* Suarez. lib. 12. de divina gratia cap. 4. S. 12. affirmat *eum qui simul cum actu fidei internæ habet voluntatem confitendi illam propter honorem humanum, licet in hoc peccet venialiter, non tamen amittere meritum internæ fidei.*

5. Ex hac Adversariorum doctrina validum & efficax argumentum pro nostra sententia colligi potest. Si enim is qui bonum opus facit, potest dici justus Deoque gratus & acceptus, quamvis eodem momento quo illud facit peccatum committat, cur non etiam potest homo opus bonum faciens, esse Deo gratus, quamvis non solum eodem momento, sed etiam eodem actu peccet? Nam non minus turpis & peccati reus est qui uno actu benè, & alio malè agit, quam is qui uno & eodem actu bene agit, & peccat. Et confirmatur, quia non est absurdum, ex Adversariorum sententia, neque contradictionem implicat, unum & eundem hominem simul & eodem tempore, bene agere & peccare, esse bonum & malum, esse præmio & pœna dignum. Ergo, neque contradictionem implicat dicere eundem actum hominis

minis justi esse bonum & malum moraliter, præsertim cum ex nostra sententia sit simpliciciter ac absolute bonus, & tantum secundum quid malus.

6. Respondebunt Adversarii: non esse parem rationem, idque quia actus bonus ex supervenientè actu malo, *non inficitur, nec minimum gradum malitiæ contrahit*, ut loquitur Vasquez loco citato: & proinde potest quis ab eo denominari & haberi bonus, quamvis ab alio actu coexistente denominetur malus. At actus ille, cui intrinsecè inhæret aliqua malitia moralis, ab ea ita inficitur & vitiatur, ut nullo modo bonus sit, & proinde agens simpliciter malus, & nullo modo bonus ab eo denominandus est.

7. Hæc responsio non satisfacit. Primò enim prava intentio agentis, sive ea præcedat actum bonum, sive eum commitetur, est vitium actionis. Nam agens qui ex unica intentione eaque bona, viz. ex intentione gloriæ divinæ actum bene inchoavit accedente intensione vanæ gloriæ, eum male continuat. Nam tunc propter duos fines, unum bonum, alium malum agit, hoc est, agit & ex intentione gloriæ divinæ, & ex intentione gloriæ suæ. At agere ex mala intentione, est manifestum vitium actionis. Ergo impudenter negant Adversarii bonum actum vitiari ex superveniente intentione aut affectu inanis gloriæ. Secundo id quod agentem vitiat ejus actionem etiam vitiat, Deoque minus gratam efficit: At actus ille superveniens vitiat & inficit agentem ut omnes fatentur. Ergo, &c. Ratio propositionis est, quia actus moralis valorem & dignitatem accipit à conditione operantis ut expresse docent Bellarminus lib. 5. de justif. cap. 12. S. *Preterea*, & S. *Secunda ratio*. Suarez lib. 12. de divina gratia cap. 14. S. 14. Vasquez. in 1*am* 2*æ* tom. 2. disp. 216. cap. 2. & Valent. tom. 2. disput. 8. qu. 6. punct. 3. col. 1170, & 1171. Ergo imminuta dignitate operantis, minuitur etiam dignitas actus, hoc est, si agens peccando venialiter meratur esse Deo minus gratus, actus bonus quem ille elicit dum peccat erit etiam ex se mi-

nus

nus Deo gratus, & per consequens maculam aut labem contrahit ex coexistente actu peccati. Tertio ad bonitatem moralem actuum religionis, ut v. g. actum orationis, gratiarum actionis, aut susceptionis alicujus sacramenti, requiritur ut mens nostra non evagetur aut distrahatur per mundanas cogitationes: Ergo iis supervenientibus actus religionis ex bona intentione, & cum debitis circumstantiis inchoatus vitiatur, & culpabilem defectum contrahit. Quarto, actus peccati mortalis coexistens cum actu moraliter bono, quamvis sit actus realiter ab eo diversus, non solum eum vitiat, sed etiam totam moralem dignitatem tollit, ut docent adversarii communiter. Vide Suarezium lib. supra citato cap. 4. S. 12. Ergo peccatum veniale actui bono superveniens eum aliquo modo vitiat, ejusque dignitatem aliquo modo tollit. Respondent Adversarii illud fieri per accidens: quia peccatum mortale destruit gratiam inhærentem, sine qua nec ipse agens, nec ejus actus, Deo gratus esse potest. Sed hoc effugium facile confutatur, quia quamvis Deus in homine peccante mortaliter habitum gratiæ conservaret (quod est possibile, ut supra monui parte 1. sect. 7.) tamen actus ille bonus, cui adiunctus est actus moraliter malus nullo modo Deo gratus esset: & per consequens actus malus per se, & ex sua natura, derogat valori, & dignitati actus boni, cum quo coexistit. Quinto, Gregorius magnus, loco supra citato loquens de pravis intentionibus & affectionibus, quæ optimis nostris actionibus se interserunt, & admiscent, duo dicit. Primo nostra bona opera ob earum admistionem, non esse *pura bona*, hoc est, esse impura, vitiata, & labe peccati aspersa: unde Bellarminus lib. 4. de Justif. capit. 21. dicti illius Gregoriani hanc rationem reddit, *quia* (inquit) *fieri non potest ut non aliquando subrepat aliquid, quo bona aliqua opera vitientur.*

tur. Nota illud vitientur. Nam Bellarminus contra Suarezii, & aliorum sententiam fatetur bona opera per adjunctos actus malos vitiari, imo contra suam ipsius sententiam quam illic tuetur, concedit opera aliqua posse esse bona, quamvis sint vitiata & peccati labe aspersa. Secundo ex eo quod nostra opera impura & vitiata sint, colligit Gregorius non remanere salutis locum si districtè à Deo judicemur. Verba ejus notatu digna sunt, *Fatendum* (inquit) *est igitur quod rectam quidem intentionem nostram, quæ soli Deo placere appetit, nonnunquam intentio minus recta, quæ de donis Dei placere hominibus quærit, insidiando commitatur. Si autem de his divinitus districte discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quando & mala nostra pura mala sunt: & bona, quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquam possunt?*

8. Quarto multi ex adversariis nostris bonis renatorum operibus culpabilem imperfectionem & injustitiam quandam attribuunt, Estius in 2. Sentent. distinct. 41. S. 4. sub finem, quorundam Pontificiorum sententiam (quam ipse non damnat, sed aliis doctioribus expendendam relinquit) de conjunctione bonitatis & malitiæ moralis in eodem actu sic exprimit: *aliud* (inquit) *est hominem in aliquo opere peccare, aliud vero ipsum opus peccatum esse. Nam & justi in iis operibus, quæ indubitato bona sunt, sæpenumero peccant, dum iis se aliquousque vel concupiscentia, vel negligentia vel alicujus levioris circumstantiæ ad integritatem boni operis requisitæ defectus admiscet; uti contingit oratione prolixiore ad Deum, in concione ad populum, in studio sacrarum literarum; aliisque ejusmodi. Quo respexisse videtur Gregorius quæ quando in fine moralium ait bona nos habere credimus, pura bona esse nequaquam posse.*

9. Andreas Vega lib. in concil. Trident. cap. 40. *Multa* (inquit) *quæ nunc sunt bona opera, & justa, & meritoria, ad eam sanctitatem & puritatem exacta, qua Deo deberemus servire, quamque Deus à nobis posset ex rigore exigere, tum propter suam bonitatem,*

tum

tum propter eximia sua in nos beneficia, vere vitia essent & mala opera, & injustitiæ: non solum enim verum est, vitam quorumvis justorum multis peccatis venialibus jugiter sordidari & deturpari: sed ipsa etiam perfectorum opera, a bonitate illa longe deficere, qua deceret nos Deum colere laudare & honorare. Sunt quippe multis imper fectionibus quoad hîc vivitur, conjuncta neque tam pura, neque tam sancta & ferventia, quam magnituto divinæ bonitatis & beneficentiæ in nos exigeret. Et cum Deus modo propter eximiam suam in nos dulcedinem & suavitatem, ne ad culpam quidem venialem eos nobis defectus & imperfectiones imputet, posset tamen culpæ eos nobis tribuere, si districte, & præter suavitatem suam & benignitatem nobiscum vellet agere. Et infra ibidem. *Propterea Gregorius affirmat, omne meritum virtutis nostræ vitium esse: quia nullum opus nostrum tamen pure, tam sancte, tam ferventer, tam omni ex parte perfecte fit a nobis, quam fieri deceret, ut Deo juxta magnitudinem suæ bonitatis & suorum in nos beneficiorum serviremus, & quam ipse à nobis posit exigere, si vellet districte judicare,* Deniq; ultimis verbis istius cap. concludit, *multa nunc fieri à nobis bona opera & absq; ulla macula peccati, quæ tamen, si Deus districte vellet nobiscum & injustitiæ essent ac mala agere & non bona probarentur.*

10. Franc. Costerus in Enchir. cont. c. 6. p. 246. edit. Colonienſis an. 1589. sic scribit, *Fundamentum est (inq.) nonnulla justorum opera, subinde non ea puritate enitescere, quin leves saltem maculas contrahant, aut pulvere venialium peccatorum aspergantur. Distrahimur enim in orationibus, irrepit inanis gloria conferenti eleemosynam, negligenter obiterq; multa perficimus.* Et infrà de homine justificato faciente opera, bona quidem, sed impura & imperfectè bona sic disserit. *Itaq; ut est filius Dei opera sancta facit, ut filius Adæ operibus bonis admiscet pulveres & imperfectiones. Proinde non sequitur justitiam internam non esse mundam, Deoq; gratam, eo quod opera non sunt mundissima, siquidem munditiem & bonitatem suam opera bona ab internam*

na justitia hauriunt; impuritatem à concupiscentia. Itaque ut pictor suæ artis imperitus esse judicari non debet, si rem aliquam, ab alio impeditus minus eleganter pixerit: ita nec ex operibus minus perfectis, internæ justitiæ perfectio ponderari debet, cum imperfectionis causa non sit justitia, sed innata concupiscentia.

11. Quinto doctrina Bellarmini, Suarezii, & aliorum qui actus renatorum culpabili aliqua imperfectione inquinatos nullo modo Deo gratos & acceptos esse affirmant, multum derogat, Primo *singulari & paterno amori Dei*, quo filios suos in Christo adoptatos prosequitur. Alienum enim est ab illa ejus benignitate, ob involuntarios istos & *moraliter* inevitabiles defectus, optima filiorum suorum opera, quæ illi *cum timore & tremore*, nec non ex serio ei placendi studio faciunt, aversare, damnare, & pro meris peccatis habere. Secundo derogat *efficaciæ intercessionis Christi*. Nam ex ea sequitur renatorum opera imperfecte bona non posse Deo per Christi intercessionem commendari (ea enim opera quæ simpliciter & absolute sunt peccata Deo commendari non possunt) eorumque hostias, quæ in se aliquid habent, propter quod minus acceptabiles fiut, non posse fieri *acceptabiles Deo per Jesum Christum*, 1 Pet. 2. v. 5. At certe hoc absurdum & impium dictu est. Quis enim crediderit Christi intercessionem non posse efficere, ut *pater ille misericordiarum & Deus omnis consolationis*, 2 Cor. 1. v. 3. modicam filiorum suorum obedientiam, quasi plenam acceptet, utque defectus illos ac nævos nostro obsequio adhærescentes, ita condonet, ut nihil bonorum operum, quæ facimus, valori & bonitati morali ob eos in gratiosa ejus æstimatione decedat? Quis crediderit clementissimum illum *Dei agnum*, aut non velle, aut non posse iis opem ferre, qui cum gemitu & lacrymis ad pedes ejus provoluti rogant ut imperfectam suam obedientiam patri suo commendet?

Quis

Quis crediderit gratiosum illum Dominum, qui exaudivit patrem lunatici clamentem, *Credo Domine, succurre incredulitati meæ*, Marc. 9. 24. nunc surda aure eorum suspiria & preces audire, qui ipsum humillime orant, ut id per sua merita & intercessionem supplere dignetur, quod eorum fidei, pœnitentiæ, & gratitudini summo cum dolore deesse agnoscunt. Tertio derogat *eorum consolationi, qui, dum actus religionis à Deo præscriptos exercent, sibi non satisfaciunt, & proinde se Deo multo minus satisfacere credunt.* Si enim iis dicas omnes obedientiæ & religionis actus, qui culpabili aliquo defectu aut macula coinquinati sunt, esse mera peccata, illi statim apud se concludent se nunquam Deo debitum obsequium præstitisse, & consequenter se in certæ & manifestæ damnationis statu esse. Hoc incommodum ad quamplurimos, imo ad optimos Christianos pertinet. Quis enim ex eorum numero qui sanctissimi habentur, se in dilectione Dei satis fervidum esse sentit? Quis in timore Dei sè sæpissimè remissum esse non agnoscit? Quis tali ac tanta patientia afflictiones sustinet, qualem ac quantam lex Dei exigit? Quis in precibus semper est attentus & assiduus? Cui non sæpe inter orandum obrepunt dubitationes de exauditione, pravæque cogitationes? Unde Croquetius modernus papista Catechesi 152. non solum profanos & impios, sed etiam illos qui religiosiores sunt, multis modis in publicis religionis actibus exercendis peccare affirmat. *Nam* (inquit) *præterfabulas, præter discursum, & & oculos vagos, si deteriora non fiunt, nihil fere cernitur. Non deerunt fortasse nonnulli paulo religiosiores, sed interea tantus est tepor, tanta distractio, ut supplicantes fere aliud nihil quam peccemus.*

12. Sexto opera virtutum ethicarum ab infidelibus facta non tam verè & propriè bona, neque tam Deo grata sunt quam opera à fidelibus ex vera fide & sincero Dei amore, sed cum culpabili aliquo defectu facta. At priora opera quamvis

valde

valde defectuosa sint, tamen ex sententia Adversariorum, non sunt mera peccata, imo vere & propriè bona sunt. Ergo multo minus dicendum est opera defectuosa fidelium esse mera peccata.

13. Septimo, *timor servilis* & *attritio*, quæ est dolor de peccatis ex hoc timore proveniens, sunt ex Adversariorum sententia, actus moraliter boni, quamvis culpabili defectu, eoque specifico, & substantiali laborent. Ergo impudenter negant actus graduali aliquo defectu coinquinatos posse esse moraliter bonos. Novi Adversarios constanter asserere defectus illos, qui sunt in his actibus non esse culpabiles, variisque effugiis uti, ut rationes in contrarium allatas declinent. Proinde brevem digressionem de culpabili defectu attritionis & timoris servilis huic ultimæ sectioni attexam.



DIGRES-

DIGRESSIO

DE

Culpabili defectu actuum timoris servilis, & attritionis quæ ex eo oritur.

PRimo igitur quod ad timorem servilem attinet, in eo duo considerari possunt viz. *timor pœnæ & servilitas illius timoris*, de quibus sic scribit Estius in 3. Sent. dist. 34. S. 6. *in timore servili duo considerandæ sunt timor & servilitas: quorum alterum bonum est, alterum malum. Bonum est enim timere pœnam, malum vero serviliter timere, id est, ita timere malum pœnæ, ut nondum ametur bonum justitiæ.* Eodem etiam modo de timore servili differunt reliqui Scriptores Pontificii. Nam Suarez. l. 2. de divina gratia c. 21. S. 20. dicit *timorem pœnæ qui includit conditionem servilem esse pravum*, & Valent. tom. 3. disp. 2. qu. 2. punct. 3. dicit *timorem servilem, ut servilem esse malum.* Imo ipse Thomas 2a 2æ qu. 19. art. 4. dicit *timorem servilem, in quantum servilis est contrariari charitati*, item, *timorem servilem esse secundum substantiam bonum, sed servilitatem ejus esse malam.*

2. Ex his sic argumentor: Timor servilis includit in se aliquid moraliter malum, viz. servilitatem, quæ est culpabilis defectus, ut Adversarii omnes docent. Ergo verum est, quod dixi sectione præcedenti, actum timoris servilis culpabili nævo seu defectu inquinatum esse. Respondet ipse Thomas, & cum eo Bellarminus l. 2. de pœnitentia, c. ult. Estius loco citato & alii, *servilitatem nullo modo includi in actu timoris servilis, nec esse defectum ei intrinsecum; sed contra, esse defectum extrinsecum, qui efficit hominem timentem non vere ipsum timoris actum.* Nam actus (inquiunt) quo quis timet pœnam est quidem in se licitus (quia sicut licet amare beatitudinem amore concupiscentiæ, ita licet odisse & timere miseriam ei contrariam)

sed

sed est in subjecto culpabili & defectuoso: hoc est, existit in eo, qui ex amore sui timet pœnam, & non ex amore Dei timet culpam. Unde Bellarminus loco citato. *Itaque* (inquit) *qui serviliter timet, malus est, quia pluris facit pœnam quam culpam; sed timor ipse non est malus, sed bonus: quia non ideo ille malus, quia vehementer timet pœnam sed quia non vehementius timet culpam.*

3. Ut hoc effugium Adversariis præcludamus, utque ostendamus timorem servilem, ex quo oritur attritio, in se & quoad substantiam suam esse servilem, quærimus ex adversariis an omni pœnæ timor sit licitus & laudabilis? Respondet Suarez disput. 1. de spe, sect. 4. S. 6. *pœnam dupliciter posse timeri: Primo moderate & secundum rectam rationem propter veram malitiam quam in se habet. Secundo immoderate, & ultra mensuram rectæ rationis, ut si pœna timeatur tanquam maximum supremum pessimumque malum: & tunc* (inquit) *est pravus timor: nam per illam præfert homo malum suum malo Dei: unde in se non in Deo constituit finem ultimum, quod tunc solum contingit, quando homo plus timet culpam, quam pœnam, &c.* Idem etiam docet Valent. tom. 3. disput. 2. qu. 2. punct. 3.

4. Hanc distinctionem ejusque explicationem, quam affert Suarez, libenter accipio. Primo enim contra dicit Bellarmino asserenti loco citato timorem illum, quo quis pœnam plus quam culpam timet, esse in se bonum, quamvis is cui hic timor ineest sit malus. Nam Suarez contra hic asserit timorem illum in se esse pravum, & inordinatum, quia *non fit cum debita moderatione*, seu cum justa appreciatione pœnæ, oriturque ex nimio amore sui. Secundo quia hæc distinctio causam quam ipse Suarez tuetur, jugulat: Nam qui servilem timorem habet, is principaliter timet pœnam, *tanquam precipuum & maximum malum*, probatur antecedens. Primo manifestissimis Thomæ testimoniis; is enim 2a 2æ qu. 19. art. 2. distinguit timo-

rem

rem servilem ab initiali in hoc *quod timor servilis primario, initialis vero secundario pœnam respiciat*, & ibidem art. 6. expresse dicit, timorem pœnæ non posse esse servilem *nisi quando pœna formidetur sicut principale malum.* Secundo idem probatur evidentissima ratione. Nam qui servilem timorem habet, is aut non omnino timet culpam aut si eam timeat, solummodo eam timet, *quatenus est causa pœnæ*, & sic eam propter pœnam timet. Qui autem timet culpam propter pœnam, is magis timet pœnam juxta regulam, *propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale.* Tertio is qui timorem servilem habet, nihil magis timet quam pœnam, imo nihil æque timet ac pœnam. Ergo pœnam maximè timet. Probatur antecedens, quia non præcipuè timet culpam, quatenus est offensa Dei. Hoc enim sine charitate & filiali timore fieri non potest. Qui autem servilem timorem habet, is nondum filialiter ex charitate timet, ut patet ex Lombardo 3. Sent. dist. 34. & Estio ibidem, & ex variis Augustini testimoniis qui illic ab iis citantur.

5. Dices primo hæc argumenta niti falsa suppositione. Supponunt enim Pontificios in hac quæstione, quam contra Lutherum de *timore servili* tractant, loqui de timore servili *formaliter sic dicto*, qui omnino separatus est à *timore filiali*, & à charitate, quique cumtimore filiali coexistere in aliqua persona non potest, cum tamen ipsi loquantur de timore servili *materialiter & quoad substantiam suam* considerato, hoc est, de timore pœnæ absolutè, & generaliter considerato, quatenus est, timor pœnæ. Nam timor pœnæ, imo timor culpæ propter pœnam potest esse, & actu est in hominibus sanctissimis, qui quamvis uno aliquo actu timeant culpam propter pœnam, idque vehementer, tamen alio actu magis timent culpam seu offensionem propter se, & qua talis est.

6. Respondeo istam suppositionem non esse falsam. Primo enim Bellarminus lib. 2. de pœnitentia

cap.

cap. 17. Estius in 3. Sent. dist. 34. S. 5. 6. 7. & 8. & Andreas Vega in concil. Trident. lib. 6. cap. 26. aperte profitentur se loqui de timore servili *formaliter sic dicto*, quò quis ita timet pœnam, & culpam propter pœnam, ut nullo modo hoc est, neque actualiter, neque habitualiter timeat culpam propter offensionem Dei, tanquam propter principalem timoris causam. Secundo timor ille pœnæ quo quis ita timet pœnam, aut culpam propter pœnam, ut simul vel habitu, vel actu magis timeat culpam propter Deum offensum, seu propter offensionem Dei, nullam *servilitatem* habet. Nam non est servorum, sed filiorum ita timere pœnam, ut magis timeant culpam seu offensionem patris familias. Tertio Thomas 2a 2æ quæst. 19. ar. 2. dicit eum qui ad Deum, & ex timore culpæ, & ex timore pœnæ convertitur habere timorem non *servilem*, sed *initialem* quod proculdubio intelligi debet de eo qui ita timet pœnam ut ex perfecto & debili quodam amore Dei etiam timeat culpam, seu Dei offensionem. Nam qui ita timet pœnam ut ex perfecto amore magis timeat culpam, ille filialiter timet. unde Bellarminus loco citato multis Patrum testimoniis probat hujusmodi pœnæ timorem in viris sanctissimis atque adeo in ipsis Martyribus inveniri. Quarto Pontificii loqui debent de timore servili prout, ab Augustino & aliis Patribus accipitur. At ab iis accipitur pro timore formaliter servili quo quis solius pœnæ metu à peccato abstinet, ut patet ex eorum testimoniis, quæ Bellarminus & Estius locis citatis in medium offerunt. Quinto si Pontificii non loquantur de timore servili *formaliter sic dicto*, ineptè & ridiculè disputant contra Lutheri assertionem de timore servili. Nam is solum timorem servilem formaliter consideratum damnavit, ut apertè fatetur Bellarminus loco citato.

7. Dices secundò Pontificios in hac quæstione neque

neque loqui de illo timore pœnæ, quo quis ita timet pœnam, ut ſimul ex vera charitate magis timeat culpam, neque de illo timore quo homo charitate deſtitutus immoderate timet pœnam tanquam maximum ſuum malum, ſed de timore illo quo quis charitate deſtitutus timet pœnam moderatè, *& cum debita appreciatione*, hoc eſt, quo timet pœnam *non ut maximum ſuum malum*, ſed *ſimpliciter ut quid malum, & ſibi damnoſum*. Reſpondeo timere pœnam cum debita moderatione & juſta ejus appreciatione eſt timere eam ut malum ſecundarium, quod non contingit niſi in eo qui charitatem habet, ut expreſsè docet Thomas 2a 2æ quæſt. 19. art. 4. & confirmatur, quia nemo abſque charitate poteſt Dei gloriam magis amare quam ſuam beatitudinem. Ergo nec abſque ea poteſt dici offenſionem D E I magis averſari, quam ſuam miſeriam. Secundo, qui charitate deſtitutus eſt, non præcipuè averſatur aut timet culpam propter offenſionem D E I. Ergo præcipuè timet eam propter damnum ſuum, & proinde timet eam propter pœnam, tanquam propter maximum malum. Nam ſi non haberet eam pro maximo malo, non præcipuè propter eam timeret. Tertiò qui ſervilem timorem habet, is ſolam pœnam per ſe timet: nam non timet offenſionem D E I niſi quatenus eſt cauſa pœnæ. Ergo timet pœnam tanquam malum majus offenſione D E I, Denique ubi abeſt verus D E I amor, ibi dominatur inordinatus ſui amor, qui ſemper plus timet *malum ſuum* quàm *malum* D E I (ut loquitur Suarez) hoc eſt, quàm D E I offenſionem.

8 Hæc de culpabili defectu in actu timoris ſervilis, quem illi moraliter bonum, licet non æternæ vitæ meritorium eſſe affirmant. Nunc, quod ad attritionem ex timore ſervili conceptam attinet, nullo negotio eam culpabiliter defectuoſam eſſe demonſtramus. Primo quia ex culpabili timore oritur, & proinde ipſa eſt culpabilis. Secundo quia quamvis verſetur circa debitum objectum, hoc eſt, *circa cul-*

dam, non tamen semper versatur circa eam sub debito respectu; hoc est, non semper versatur circa eam *quatenus est culpa, seu offensa* DEI (nam sæpè versatur circa eam solummodo quatenus est causa pœnæ, & proinde non tam est dolor de culpa quam de pœna) aut si sit de culpa *quatenus est offensa* DEI, non tamen versatur circa eam *cum debita appreciatione*, hoc est, non est dolor de offensa DEI tanquam de summo malo super omnia detestabili, ut docent Valent. tom.4. disputat. 7. quæst. 8. punct. 1. & proinde est dolor de æterna miseria, quæ peccatori imminet, tanquam de maximo & summo malo. Tertio, si aliquando contingat eam versari circa debitum objectum, sub debito respectu, & etiam cum justa appreciatione, hoc est, si contingat eam esse dolorem de peccato, quatenus est offensa DEI, tanquam de maximo malo (quod fieri posse asserit Toletus in Instructione sacerdotis lib.3.cap.4.S.6.) non tamen tunc includit firmum propositum vitandi omnia peccata in posterum, quod necessario requiritur in illo dolore, quem DEUS à nobis exigit, cum jubet ut ad se redeamus per veram pœnitentiam. Nam vera pœnitentia sine hoc proposito, imo sine reali praxi, & executione hujus propositi, consistere nequit, ut patet ex Ezechiel.18. 21, 27, 30. Matth:3.8. Act. 26.20. & ipsi Adversarii fatentur, viz. Vasquez in tertiam partem Thomæ tom: 4. quæst:86. art:2. dub:4. num.7. & Valent. loco citato punct: 6. assert. ultima. Ergo quamvis dolor attritionis præcisè in se consideratus esset bonus (quod tamen rarissimè accidit, quia plerumque aut non est de peccato sub debito respectu, aut non est de eo cum justa appreciatione) non tamen careret defectu culpabili: idque quia, quatenus est actus conversionis, seu pœnitentiæ, non plenè satisfacit præceptis à Deo traditis de pœnitentia.

9. Adversarii ut vim hujus ultimi argumenti declinarent nova quædam, & ipso auditu horrenda dogmata excogitarunt. Nam Navarrus, Victoria, & quidam

quidam alii (ut testantur Vasquez loco citato, dub: 2. & Valent. loco etiam citato punct: 3,) docuerunt perfectum dolorem de peccatis (qui necessario includit propositum vitandi peccata in posterum) non esse sub præcepto, seu nullum præceptum exstare in Scriptura, quo obligamur ad perfectam contritionem. Melchior Canus in relect. de pœnitentia parte 4. quæst: 2. conclus: 4. docet exstare in Scripturis præcepta de pœnitentia, & perfecta contritione, sed ea non nisi *indeterminatè & sub disjunctione* obligare, ut viz. vel habeamus perfectam contritionem extra sacramentum pœnitentiæ, vel certè habeamus attritionem in usu sacramenti. Denique Gregorius de Valentia, loco citato, punct. 4. assert. 6. col. 1256. Vasquez loco etiam citato dub: 5 & 6. Becanus tertia partæ Summæ tract: 2. cap: 35. quæst. 7. & alii multi docent ipsam perfectam contritionem per se & determinatè esse sub præcepto, sed dicunt primò, nos ex præcepto contritionis non obligari ad habendam contritionem statim postquam peccavimus, & consequenter nos posse ad certum tempus licitè differre pœnitentiam nostram. Secundò præceptum contritionis non obligare peccatores in gravia peccata prolapsos nisi certo quodam tempore, viz. in articulo extremæ necessitatis, id est, in periculo mortis (nam de nullo alio particulari tempore, quo obligat hoc præceptum, convenit inter Cadmæos illos fratres) & per consequens eorum dolorem qui tantum attriti, & non contriti sunt, non laborare culpabili defectu, nisi in illo temporis momento, quo præceptum contritionis obligat.

10. Quod si illis objicias dictum illud Siracidæ (cujus liber apud eos canonicus est) Ecclesiastici 5. 8. *ne differas te ad dominum convertere; neque rejicias de die in diem.* Respondent non esse *præceptum*, sed *consilium*: unde sequitur eos qui statim post peccatum commissum convertuntur ad DEUM ex Pontificiorum sententia, opus supererogationis facerei

facere. Hi furores non confutandi, ſed explodendi, aut potius cum gemitu & lachrymis deplorandi ſunt. Interim breviter unico argumento probabo omnverſionem ad Deum eſſe neceſſariam ex Dei præcepto ſtatim poſt commiſſum peccatum. Illud ſic proponi poteſt: Nullo momento licet eſſe in peccato. Ergo tenemur ex DEI præcepto ſtatim peccatum relinquere, & conſequenter habere veram & perfectam contritionem, ſine qua peccatum tolli non poteſt. Antecedens patet, quoniam cum peccatum ſit per ſe illicitum, contradictionem implicat dicere quod eſſe in peccato liceat. Gregor: de Valentia, loco citato, punct:4. aſſert:1. reſponſ: ad argum: 3. col: 1245. dum huic argumento occurrere conatur, apertè manus dat, hoc eſt, concedit peccatorem obligari ad pœnitentiam perfectam ſtatim poſt commiſsũ peccatum. *Tenetur aliquis quovis momento deſerere peccatum ex illo eodem præcepto, contra quod propriè peccatum illud ſit, in quo hæret; non autem ex ſpeciali præcepto pœnitentiæ, ita, ut ſi non ſtatim deſerat, admittat ſpeciale peccatum impœnitentiæ.* At ſi tenetur pœnitentiam agere, & per veram contritionem ad Deum redire, habemus quod volumus, viz. eum, qui tantum attritus & nondum contritus eſt, obligari ad habendam ulteriorem doloris ſpiritualis perfectionem, & per conſequens ejus dolorem culpabili defectu laborare. Vide ſi placet Cajetani Summulam verbo CONTRITIO, parag: *Tempus autem.* &c.

INDEX.

INDEX

PARTIUM ET SECTIONUM HUJUS DISPUTATIONIS.

PARS PRIMA.

In qua Euangelicorum ſententia de peccati mortalis & venialis diſcrimine proponitur, & variis obſervationibus, diſtinctionibus ac quæſtionum determinationibus explicatur, & illuſtratur.

Sectio 1.

QVam utilis ſit hæc diſputatio ad Pontificiorum doctrinam de humanæ juſtitiæ perfectione, & meritis evertendam!

Sectio 2.

An, & quo ſenſu Euangelici admittant partitionem peccati in mortale & veniale? Pag. 10.

Sectio 3.

Proponuntur & confirmantur variæ aſſertiones de diſcrimine peccati mortalis & venialis. Pag. 14.

Sectio 4.

De quintuplici differentia peccati mortalis & venialis. Pag. 21.

Sectio 5.

De primo effecto peccati mortalis hoc est, de exclusione peccantis à favore Dei, deque duplici distinctione amoris divini. Pag. 28.

Sectio 6.

Deum posse eos amare quos prius odit, & odisse eos quos prius amavit, absque ulla vel physica, vel morali voluntatis suæ mutatione obiter declaratur. Pag. 33.

Sectio 8.

De secundo & tertio effecto peccati mortalis, hoc est, de privatione gratiæ, & amissione præsentis aptitudinis ad ingrediendum regnum cœlorum. Pag. 37.

PARS SECUNDA.

In qua duæ principales differentiæ, quas Pontificii inter peccatum mortale & veniale assignant, considerantur & confutantur.

Sectio 1.

Pontificiorum sententiam de peccatis venialibus nullo solido fundamento niti. Pag. 45.

Sectio 2.

De macula peccati: & an macula, quam veniale peccatum post se relinquit, peccantem à regno cœlesti excludere possit? Pag. 55.

Sectio 3.

An peccata levissima reprobcrum sint mortalia, non solum ab eventu sed etiam ex merito? Pag. 61.

Sectio 4.

An peccata levissima electorum sint mortalia ex natura sua. Pag. 66.

Sectio 5.

An peccata leviora, quæ venialia vocantur, sub pœnæ æternæ mortis à Deo prohiberi possint & an actu sub ea pœna in fœdere operum, seu legali, prohibita sint? Pag. 69.

Sectio 6.

An & quatenus malitia in omni peccato, etiam veniali, sit

sit infinita? & an pœna infinita ei respondeat? Pag. 73.

Sectio 7.

An peccatum mortale & veniale in hoc differant, quod mortale sit ex se irremissibile per ablationem principii remissionis, hoc est, gratiæ inhærentis; veniale vero sit ex se remissibile per non ablationem istius principii? Pag. 77.

PARS TERTIA

In qua considerantur & confutantur fundamentales differentiæ, quas assignant Pontificii inter peccatum mortale & veniale.

Sectio 1.

AN recte doceant Adversarii offensas in re leviori commissas non mereri dissolutionem amicitiæ. Pag. 89.

Sectio 2.

An peccata quæ venialia vocantur, sint simpliciter & absolute leves offensæ. Pag. 94.

Sectio 3.

An peccata venialia sint contra legem? & an sint contra finem legis? Pag. 97.

Sectio

Sectio 4.

An simpliciter ac sine adjectione dicendum sit peccata venialia esse contra Dei legem? Pag. 99.

Sectio 5.

An peccata venialia repugnent charitati, quæ est finis legis? Pag. 102.

Sectio 6.

An peccata venialia in peccante, ponant aversionem à Deo ut ab ultmo fine? Pag. 108.

Sectio 7.

An homo justificatus peccando venialiter constituat ultimum finem in creatura? Pag. 112.

APPEN-

INDEX

APPENDICIS;

De possibilitate implendi legem considerata secundum ἐπιείκειαν Euangelicam.

Sectio 1.

AN ea legis observatio; quam Deus nunc sub fœdere gratiæ ut præcisè necessariam ad salutem, exigit, sit nobis possibilis? Pag. 121.

Sectio 2.

An bona renatorum opera, ex Euangelicorum sententia, sint peccata mortalia? & an simpliciter ac absolute sint peccata? Pag. 129.

Sectio 3.

An bonitas & malitia moralis in uno & eodem actu sint compossibiles? Pag. 132.

DIGRSSIONIS.

DE

CUlpabili defectu actuum timoris servilis & attritionis quæ ex eo oritur. Pag. 141.